ACHAICA.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO

IN UNIVERSITATE LUDOVICO-MAXIMILIANA

PHILOSOPHORUM ORDINE RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

PETER HUBER.

MONACHII MDCCCC.

TYPIS A. PAUL, GÜNZBURG.

ACHAICA.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO

IN UNIVERSITATE LUDOVICO-MAXIMILIANA

PHILOSOPHORUM ORDINE RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

PETER HUBER.

MONACHII MDCCCC.

TYPIS A. PAUL, GÜNZBURG.

Quamquam viri doctissimi multum temporis et operae collocaverunt in investigandis Achaeorum foederis institutis, tamen multis in rebus propter inopiam atque penuriam fontium nemini adhuc contigit, ut stabiliret sententiam, quae omnibus probaretur. Quo factum est, ut diu dubitarem instituere hanc difficilem quaestionem, verum Polybi, Livi, Pausaniae libris denuo excussis multisque locis inter se comparatis aggressus sum hoc opus ratus me posse cum refellere perversas aliquot sententias eorum, qui scripserunt usque ad hanc aetatem de his rebus, tum afferre lucem nonnullis quaestionibus dubiis atque obscuris. Disputabo autem primum de Achaeorum conciliis in universum, deinde de conciliorum compositione, tum, quando habita sint ordinaria concilia et comitia praetori creando ac quando praetores Achaeorum inierint magistratum ab anno 217/216, denique pauca addam, quae non pertinent ad concilia, sed ad alia Achaeorum instituta.

Atque illud primum videamus, ubi habita sint concilia, per quot dies celebrata, per quem convocata. Nunc inter omnes constat Aegii tantum ordinarios conventus ex legibus esse agitatos usque ad annum 189. Qua de re scripserunt Wahner[1]), Weinertus[2]), Gilbertus[3]), Poehlmannus[4]), Busoltus[5]).

---

1) Wahner, de Achaeorum foederis origine atque institutis, Berlin 1854, pag. 25 not. 15.

2) Weinert, die achäische Bundesverfassung, Programm von Demmin 1881, pag. 16.

3) Gilbert, Handbuch der griech. Staatsaltertümer 2. Band, Leipzig 1885 pag. 117 sq.

4) Poehlmann, Grundriss der griechischen Geschichte 1896 pag. 236.

5) Busolt, griechische Staats- und Rechtsaltertümer in Iwan v. Müllers Handbuch der klassischen Altertumswissenschaft 4. Bd. 2. Abt. München 1892 p. 358 not. 4.

Quamquam hic attulit quoque Polyb. V 1,7, commotus, ut equidem opinor, verbis: κατὰ τοὺς νόμους, quae pertinere ad convocantes concilium intellexit Weinertus pag. 16. Sed idem Busoltus censet binos quotannis fuisse legitimos Achaeorum conventus, unum autumno, sub finem hiemis alterum, cum hic conventus celebratus sit post Vergiliarum exortum, quo tempore exordiebatur aestas (cf. Polyb. V 1,1—3). Praeterea equidem puto concilium ordinarium ex lege in certum locum statutum non potuisse transferri in aliam urbem, — id quod tum factum est — quia magistratus Achaeorum pertinaciter perstabant in legibus de convocatione conciliorum traditis (cf. Polyb. XXIII 10,12 et XXIV 5,17).

Fuerunt autem, qui ex verbis Livi XXXVIII 30 colligerent Aegium tenuisse aliquem principatum, velut Helwingius[1]), Kortuemius[2]), Neumeyer[3]). At cum hac opinione discrepant Polybi verba II 38,8: ἡ παρὰ τοῖς Ἀχαιοῖς δημοκρατία οὐδενὶ οὐδὲν ὑπολειπομένη πλεονέκτημα τῶν ἐξ ἀρχῆς, ἴσα δὲ πάντα ποιοῦσα τοῖς ἀεὶ προςλαμβανομένοις neque licet illud concludere ex Livi verbis. ‚Opportunitatem' enim ‚loci' Aegienses sibi vindicare non potuerunt nisi temporibus nascentis necdum adultae societatis, dum fines Achaiae egressa non est[4]), et dignitas quaedam eorum urbi concedi potest propter sanctitatem loci, principatum autem tenuisse civitatem inde nullo modo potest colligi, quem neque Megalopolis habuit, quae urbs Philopoemene interfecto ᾤετο συναποβεβληκέναι τὸ πρωτεύειν ἐν τοῖς Ἀχαιοῖς (Plutarch. Philopoemen 21) neque Corinthiorum urbs, quae erat εἰς τὰ ἄλλα ἀνθοῦσα καὶ ἐν τῷ συνεδρίῳ κρατιστεύουσα (Cassius Dio fragm. 72). Atque Vischer[5]) plane negat hunc principatum posse tribui Aegiensium urbi. Equidem sequor sententiam R. Weilii[6]) assi-

[1]) Helwing, Geschichte des achäischen Bundes, Lemgo 1829 p. 228: „herkömmlicher Vorort."

[2]) Kortüm, griechische Geschichte III p. 159: „eigentliche Bundesstadt, Vorort."

[3]) Neumeyer, Philopömen. Programm Amberg 1879 p. 3.

[4]) Curtius, Peloponnes I p. 464.

[5]) Vischer, Kleine Schriften, herausgegeben von Gelzer. Erster Band. Leipzig 1877. pag. 376.

[6]) In Sallet's Zeitschrift für Numismatik IX p. 240.

gnantis illi urbi non principem locum (Vorortstellung), sed singularem quendam (Sonderstellung). Quod cum is firmasset eorum nummis, addit, quod fuisset mos atque consuetudo, id Aegienses tamquam ius sibi vindicasse. Neque miror, si illi summa vi enisi sunt, ne perferretur Philopoemenis rogatio: ‚ut in omnibus civitatibus, quae Achaici concilii essent, invicem conventus agerentur'; — (Liv. XXXVIII 30) — manabant enim ex illis conventibus ‚a certain dignity and some material advantages'[1]). Hertzbergius[2]) autem cum in hac re tum in altera vehementer errat existimans p. 158: „Die beiden regelmässigen eidgenössischen Landtage jedes Jahres sollten nicht mehr wie bisher ausschliesslich an dem alten Vorort Ägion, sondern nacheinander in einer bestimmten Reihenfolge in sämtlichen grossen Städten der Eidgenossenschaft abgehalten werden." Aperte enim dicit Livius l. c.: ‚. . . ut in omnibus civitatibus, quae Achaici concilii essent, invicem conventus agerentur.' Mihi Hertzbergius videtur civitates intellexisse non urbes, sed pagos quosdam, ubi magnis urbibus essent subditae minores[3]), quae sententia refellitur et usu Liviano et loco Polybi II 38,8, quem supra laudavi.

Deinceps, ut erat propositum, dicendum est, per quot dies habiti sint Achaeorum conventus. Putaverunt viri docti (veluti Vischer p. 570) nixi locis Polybi XXIX 9,10 et Liv. XXXII 19—23 omnes conventus circumscriptos fuisse trium dierum spatio et ordinarios et extraordinarios. Weinertus autem p. 18 in dubium vocavit, num bis terni singulis annis dies suffecissent tot negotiis perficiendis, unde verisimile esse putavit hoc spatium pertinere ad extraordinarios conventus. Et fuisse duo illis locis Polybi et Livi commemorata concilia extraordinaria suo iure contendunt Busoltus p. 359 not. 8 et Gilbertus p. 118 not. 3, qui addit[4]) fieri

---

1) Freemann, History of federal government. Vol. I. London 1863, p. 276.

2) Hertzberg, Geschichte Griechenlands unter der Herrschaft der Römer, 1. Band. Halle 1866.

3) Civitates ille intellegit „achäische Bezirke, Kantone" (p. 158) censetque his paruisse minores urbes („Gau- und Periökenorte" p. 159).

4) „Es war wohl nicht ausgeschlossen, dass die Dauer einer ausserordentlichen Versammlung auch kürzer als drei Tage sein konnte."

quoque potuisse, ut brevior esset conventus extraordinarius. Quod ita se habuisse demonstrare possum Livi verbis. Scribit enim ille XXXII 19,13: ‚tot legatorum perpetuis orationibus die absumpto' et c. 22,3: ‚is quoque dies iurgiis est consumptus' et XLI 24,13 sq.: ‚triduum in concilio fuimus consultantes, utrum Romanos an Philippum sequeremur . . . fuit certe tamen aliquid, quod tam longam deliberationem fecerat', quae verba ad eundem Sicyonium conventum pertinent.

Restat, ut disputem de convocatione conciliorum. Exponam igitur, quid equidem sentiam de hac re, et occasione data virorum doctorum mentionem faciam sententiarum. Manifestum est praetorem una cum demiurgis convocasse concilia. Dilucide enim tradit Polybius XXIV 5,16: ἔγραψε (sc. Titus Flamininus) τῷ στρατηγῷ καὶ τοῖς δαμιουργοῖς τῶν Ἀχαιῶν κελεύων συνάγειν τούς Ἀχαιοὺς εἰς ἐκκλησίαν· ἀντέγραψαν αὐτῷ κτλ. Liquet igitur ex his verbis in errorem labi Schoemannum[1]), quia praetor una cum demiurgis Flamininum postulat causas, non demiurgi praetorem. Porro ex iis verbis, quae subsequuntur: τοὺς γὰρ νόμους ταῦτα τοῖς ἄρχουσιν ἐπιτάττειν efficitur apud Polybium V 1,7 τοὺς ἄρχοντας esse intellegendos praetorem et demiurgos, per quos convocat Philippus Achaeos. Item apud Polyb. II 46,6 Ἄρατος καὶ πάντες οἱ προεστῶτες τοῦ τῶν Ἀχαιῶν πολιτεύματος cogunt Achaeos ad concilium. Idem apparet ex Liv. XXXVIII 30, quia et praetor sibi assumit ius convocandi et demiurgi. Quod autem Weinertus p. 25 existimat: „dass die Achäer bei jener offenbar abnormen Berufung durch Philopömen seinem Rufe folge leisteten, er ihnen also doch als der vorzüglich Berechtigte erscheinen mochte," non cum eo facio, quia non agitur de maiore aut minore potestate, sed nil mirandum est, si Achaei laeti acceperunt illam tempestivam Philopoemenis emendationem moris publici. Neque minus errat

[1]) Schoemann, griechische Altertümer [3]. Berlin 1873. 2. Band p. 120: „Die Strategen mussten, wenn sie eine solche Versammlung wünschten, den Demiurgen, durch welche die Berufung erfolgte, auch den Grund, weshalb sie wünschten, anzeigen."

Weissenbornius annotans ad Livi locum: „Philopömen masst sich also an, was nur den Demiurgen zukam."

Difficultatem autem affert, quod aliquot locis praetor solus videtur convocasse concilium; proferuntur a scriptoribus nostrae aetatis, velut a Busolt. p. 355 not. 5, Polyb. V 91,5 et XXV 1,5. Addo Liv. XXXIX 35,5: ‚Lycortas praetor concilium indixit.' Equidem puto consilium convocandi conventum captum esse a praetore et a demiurgis, praetorem autem idcirco nominatum esse, quia exsequebatur ea, quae capta erant consilia, id quod simili exemplo confirmatur. Scriptum enim est apud Polyb. XXIII 1,4 Philopoemenem misisse Romam legatos, rectius autem de eadem legatione legimus c. 7,1 ὡς μὲν ἔτι Φιλοποίμενος στρατηγοῦντος εἰς τὴν Ῥώμην ἐξαπέστειλε πρεσβευτὰς τ ὸ τ ῶ ν Ἀ χ α ι ῶ ν ἔ θ ν ο ς. Falluntur igitur et Wahner p. 36 not. 57 et Gilbert. p. 112 not. 3 existimantes Philopoemenem praetorem semel sua auctoritate legatos Romam misisse.

Difficile est interpretari Polyb. XXIII 12,5, quo loco recusavisse perhibentur οἱ τῶν Ἀχαιῶν ἄρχοντες συναγαγεῖν τοὺς πολλοὺς εἰς ἐκκλησίαν. Censet Weinertus quidem p. 25 eosdem esse ἄρχοντας et ἀρχάς (c. 10,2), sed. p. 29 ἀρχὰς existimat non intellegendos esse demiurgos solos, quocum discrepat Polyb. XXIV 5,17. Sic cur statuerit, in causa est vocabulum συνάγειν, quod referendum esse putat ad plura loca — demiurgi autem omnes fuerunt Aegii. Quam vim huic vocabulo non semper inesse apparet e collatis locis Polybi XX 1,1 et Livi XXXV 46,1, ubi narratur Aetolos delegisse regi Antiocho triginta principes (τριάκοντα τῶν ἀποκλήτων), cum quibus, si qua vellet, consultaret; p o s t e r o d i e regem cum eorum apocletis consultasse, qua in re Polybius utitur his verbis: ὁ δὲ σ υ ν ῆ γ ε τοὺς ἀποκλήτους καὶ διαβούλιον ἀνεδίδου περὶ τῶν ἐνεστώτων. Significat igitur illa vox quoque ‚cogere', sicuti senatum cogere. Cf. Diodor. excerpt. de legat. XIII 622 (Dind.): ὅτι κατὰ τὴν Πελοπόννησον τῆς κοινῆς συνόδου συνελθούσης τῶν Ἀχαιῶν σ υ ν ή χ θ η σ α ν οἱ τῶν Ῥωμαίων πρέσβεις . . . . . μετὰ δὲ τοῦτο σ υ ν ή χ θ η σ α ν οἱ παρ' Εὐμένους πρέσβεις. Qua in re Diodorum secutum esse Polybium XXIII 7,8, argumento mihi sunt verba com-

munia sicut ὀψωνιάζεσθαι, δυσαρεστεῖσθαι τῇ τῶν τειχῶν καθαιρέσει, ἧκον δὲ καὶ παρὰ Σελεύκου πρεσβευταί. Polybius autem utitur pro συνήχθησαν verbis παρῆλθον, εἰςῆλθον.

Atque etiam Pausanias de eadem Caecili legatione VII 9,1 haec verba facit: ἠξίουν τοὺς τὰς ἀρχὰς ἔχοντας ἐς τὸ συνέδριον συγκαλέσαι τοὺς Ἀχαιούς; sunt igitur alii ἄρχοντες atque οἱ ἐν ἑκάστῃ πόλει τῶν Ἀχαιῶν τὰς ἀρχὰς ἔχοντες apud eundem scriptorem VII 14,1. Itaque recte mihi videntur dixisse et Freemanus p. 653: ‚Aristainos summoned a Cabinet Council at Argos' (not. 3: this is clearly a Meeting of the Ministers only) contra Schornium[1]), qui opinatur pag. 310 fuisse senatum, et Hertzbergius[2]). Id quod confirmatur eo ipso, quod postea οὐκ ἔφασαν αὐτῷ συνάξειν τὴν ἐκκλησίαν; hoc autem fuisse demiurgorum et praetoris (i. e. τῶν ἀρχόντων) supra vidimus. Schoemanni autem sententia opinantis pag. 122: „dem Strategen mochte es übrigens freistehen, auch ausser den Damiurgen noch andere Bundesbeamte in seinen Rat zu berufen," probari non potest.

Hermannus denique falso illud ius tribuit demiurgis, extra ordinem autem etiam praetori, praesertim cum „populus in armis" convocaretur[3]). Sed refellitur illo ipso Polybi loco IV 7,5, quem profert; praetor enim cogit Achaeorum exercitum, cui a concilio transfertur potestas decernendi.

Quibus rebus absolutis progrediar ad concilia ipsa. Priusquam autem exponam compositionem conciliorum, pauca dicam de nominibus, quibus Achaeorum concilia significantur a scriptoribus Graecis. Qua in re necessarium est quaerere, qualem illi conventum intellexerint voce βουλή.

Omnes fere, qui ad hanc aetatem scripserunt de Achaeorum foederis institutis, existimaverunt fuisse apud Achaeos

---

1) Schorn, Geschichte Griechenlands von der Entstehung des ätolischen und achäischen Bundes bis auf die Zerstörung Korinths. Bonn 1833.

2) pag. 160: „eine Conferenz mit den eidgenössischen Behörden."

3) Hermann, Lehrbuch der griechischen Staatsaltertümer. 5. Auflage von Bähr und Stark. Heidelberg 1875, p. 748.

senatum, alii perpetuum (Wachsmuth.[1]), Merleker[2]), Tittmann.[3]), Schoemann. p. 121, Vischer p. 573), alii certis temporibus convocatum (Schorn. pag. 372 secutus Niebuhr.[4]), Hermann p. 749 sq., Dubois[5]).

Atque primum quidem fieri non potuisse, ut hic senatus perpetuus esset, colligo ex Polyb. XXVIII 3,10: συναχθείσης αὐτοῖς τῆς βουλῆς . . . εἰς Αἴγιον et ex Livi verbis XXXII 19,9, unde apparet eosdem interfuisse et suae quemque civitatis senatui et communibus gentis conciliis.

Deinde multi[6]) iam intellexerunt omnibus locis, ubi senatus mentio fit, eundem esse conventum et senatum, donec Busoltus secutus Gilberti vestigia pronuntiavit iustum conventum esse illum senatum (p. 356 sq.). Quod autem ille discernit parva concilia (βουλή) et magna, postea examinabimus, cum sermo inciderit in conciliorum compositionem.

In proferendis igitur locis, ubi nobis occurrit βουλή, pauca dicam occasione data de gravissimis sententiis recentioribus. Sunt autem hi loci:

a) Polyb. II 46,6: συναθροίσαντες τοὺς Ἀχαιοὺς ἔκριναν μετὰ τῆς βουλῆς (sc. Ἄρατος καὶ πάντες οἱ προεστῶτες τοῦ τῶν Ἀχαιῶν πολιτεύματος), ubi consentaneum est ex illis ipsis Achaeis constitisse senatum, quia intellegi non potest, cur congregati sint Achaei, si senatus solus decrevisset; aliud grave argumentum affert Weinert. pag. 30 et Gilbert. eum secutus pag. 115 not. 3 existimantes rectissime penes populum fuisse ius decernendi de pace aut bello. Freemanus autem errat discernens pag. 307 tres partes: ‚ministers, senate and

---

1) Wachsmuth, hellenische Altertumskunde I/2 p. 394.

2) Merleker, Achaicorum libri tres, p. 130.

3) Tittmann, Darstellung der griechischen Staatsverfassungen. Leipzig 1822. p. 685.

4) Niebuhr, Römische Geschichte II pag. 35 not. 54.

5) Dubois, les ligues étolienne et achéenne. Bibliothèque des écoles Françaises d'Athènes et de Rome. Fascic. 40. Paris 1885. pag. 123.

6) Wahner pag. 32 sq., Freeman pag. 306, Weinert pag. 30. Dubois pag. 123 re conversa opinatur tantae gravitatis atque auctoritatis fuisse senatum, ut saepe nomine concilii ipsius appellaretur σύνοδος.

assembly' (προεστῶτας, βουλήν, Ἀχαιούς). Fuisse conventum extra ordinem demonstrat Klattius.[1])

b) Polyb. IV 26,7.8: Habetur legitimus autumni conventus. Nil differre inter se καθήκουσαν σύνοδον et βουλὴν haec mihi videntur esse argumento: Subiecti vim sustinent in utroque enuntiato οἱ Ἀχαιοὶ et adhibetur compositum προσέρχεσθαι (προσελθόντος δὲ καὶ τοῦ βασιλέως πρὸς τὴν βουλήν). Wahneri autem sententia fluctuat; nam sic statuit pag. 33 fieri posse, ut βουλῇ significetur senatus compositus ex summis foederis magistratibus, quem Philippus primum adire debuerit, ut ipsi venia daretur frequentandi concilii, id quod plane infirmatur Livi verbis XXXI 25: ‚Philippus ipsi contioni supervenit.' Et hoc tempore eius auctoritas iam labefactata erat apud Achaeos, qui duobus annis post cum Romanis ineunt societatem. Et licet concludere ex Polyb. XXXIII 15,4 praetorem solum hanc veniam dedisse. Dubois autem censet pag. 118 aliud esse concilium aliud senatum: „Ce n'est pas en présence de l'assemblée qu'il expose ses conditions. Jl prend la parole devant une représentation plus restreinte des États confédérés.“ Sed ibi renovantur regi τὰ προϋπάρχοντα φιλάνθρωπα τοῖς προγόνοις, quod fuisse concilii elucet e Polybi loco XXVIII 10,9. Freemanus denique pag. 307 not. 3 eandem dixerat sententiam, sed concesserat ipse pag. 306 afferendo hunc locum: „In some passages it is hard to distinguish its action from that of the Popular Assembly.“

c) Polyb. XXIII 7,2—10,1: Celebratur σύνοδος in Megalopolitarum urbe; est autem legitimus conventus[2]). Appellatur quoque βουλή, ubi Diodorus utitur vocabulo σύνοδος (XXIX, 17). Nonnulli[3]) collegerunt ex hoc loco senatum illum accepisse mercedem (βουλευτικόν), quae sententia refellitur ipsa Polybi narratione. Mirum est, si Freemanus coniecit ex hoc loco

---

[1]) Klatt, Forschungen zur Geschichte des achäischen Bundes. Berlin 1877 pag. 46.

[2]) Busolt pag. 359 not. 8.

[3]) Wahner pag. 33, Hermann pag. 749 sq., cui haec merces documento est non fuisse perpetuum illum senatum, Schoemann p. 121.

p. 307 centum et viginti senatores fuisse. De conventu ipso postea disseram.

Duas res annotare velim, unam, quod apparet ex hoc loco iusta decreta fecisse illum senatum (‚τὴν βουλὴν βουλεύεσθαι περὶ τῶν κοινῶν‘), alteram, quod κοινὴ σύνοδος pertinet tantum ad concilium legatorum (i. e. senatorum), — Livius XXXII 19,9: commune concilium gentis — non ad concilium omnium civium, id quod comprobat Pausanias VII 14,3, ubi κοινῷ συλλόγῳ intellegendum est concilium συνέδρων.

d) Polyb. XXVIII 3,10: συναχθείσης βουλῆς εἰς Αἴγιον. Est idem conventus, qui antea appellatur ἐκκλησία. De eadem re cf. Liv. XLIII 17,4: ‚Achaico concilio Argis agitato.‘ Equidem puto habitum esse illum conventum Aegii, quia ab ipso conventu legati traiecerunt in Aetoliam et accedo, ad sententiam Drakenborchii ad hunc Livi locum pronuntiatam: ‚Verisimilius est ex nomine minus notae urbis Aegii apud Livium notiorem urbem Argos, quam contra apud Polybium, esse datam.‘ Quamquam non infitior illis ipsis temporibus, quae sunt Philopoemenis rogationem secuta (Liv. XXXVIII 30), qua perculerat Aegii dignitatem (convocaverat conventum Argos), saepe auditos esse Romanorum legatos Argis. Cf. Polyb. XXIII 10,2 et XXVII 2,11, de quo loco pauca dicam.

Legimus apud Polybium: ἐχρημάτισαν ταῖς τῶν Ἀχαιῶν συναρχίαις et apud Livium XLII 44 de eadem re: ‚praebitum est iis Argis concilium.‘ Freemanus pag. 671 not. 2 censuit: „An act of the general and his Cabinet (the δημιουργοί) only. Livy probably misunderstood the terme συναρχίαι.“ At Livius omne conventus genus vocat concilium (velut σύνοδον ἀρχόντων τῶν Αἰτωλῶν Polyb. X 42,4: concilium Liv. XXVIII 5,13). Talem conventum fuisse colligo ex eo, quod legati παρεκάλεσαν Ἄρχωνα non Ἀχαιούς et quod συνάρχοντες sunt collegae. Adhibendus est locus Polyb. XXIV 12,6: ὁ δὲ στρατηγὸς τῶν Ἀχαιῶν παραλαβὼν τοὺς συνάρχοντας καὶ διακούσας τῶν παραγεγονότων (sc. πρεσβευτῶν τῶν Μεσσηνίων) decernit cum eis de rebus minus gravibus et c. 12,12: τῆς ὑπὲρ τῶν ὅλων διαλήψεως τὴν ἀναφορὰν ἐποιήσατο ἐπὶ τὸ ἔθνος (subsequitur ἡ δευτέρα σύνοδος). Quo fit, ut non multo inferiores praetori possint esse

συνάρχοντες[1]) et dissentiam cum Cauero[2]), qui hos ipsos locos Polybi XXVII 2,11 et XXIII 10,2, de quo antea disputavi, proferens haec scripsit: „Wiederholt verhandelten römische Gesandte zu Argos mit achäischen Bundesversammlungen." De voce συναρχίαι cf. Le Bas[3]), de hoc autem concilio Freeman. pag. 673 not. 1 et Weinert. pag. 30.

Nunc redeat eo oratio, unde digressa est. Restat enim, ut duos locos ascribam, ubi commemoratur βουλή. Sunt autem Polyb. XXIX 9,6 et Plutarch. Cleom. 25.

e) Polyb. XXIX 9,6: σύγκλητος, ἐν ᾗ μὴ μόνον συνέβαινε συμπορεύεσθαι τὴν βουλήν, ἀλλὰ πάντας τοὺς ἀπὸ τριάκοντα ἐτῶν. Est tritus ille locus, ex quo omnibus civibus, dummodo triginta annos nati essent, licuisse conventibus interesse viri docti collegerunt. Itaque in proxima parte, quae est de conciliorum compositione, de eo disseram.

f) Plutarch. Cleom. 25: ἐτύγχανον μὲν γὰρ ἐν Αἰγίῳ βουλὴν ἔχοντες — idem est βουλή quod σύνοδος ibi habita, quam falso tradit Polybius fuisse συνάπτοντος τοῦ χειμῶνος (II 54,13), id quod postea persequar. Schoemannus[4]) autem, qui putet fuisse apud Achaeos perpetuum senatum, βουλὴν ἔχοντες censet significare βουλευόμενοι itaque fuisse maiorem conventum extra ordinem. Dubois pag. 117 not. 1 et pag. 122 videtur confudisse hunc locum cum Polyb. IV 14 et temporum rationem p. 122 plane ignorasse.

Quae cum ita sint, nemo dubitabit, quin Achaei instituto βουλῆς caruerint. Sed Toepffer apud Pauly-Wissowa cum multis in rebus tum in hac re nil mutavit de verbis secundae editionis — 1862 — eandem proferens falsam sententiam: „Permanenter Ausschuss der allgemeinen Versammlung oder Bundesrat." In eodem libro existimat Oehler s. v. βουλή: ‚Einen Rat finden wir auch bei den verschiedenen Bünden, mit Ausnahme wohl des achäischen', sed pergit contra Gilberti sententiam: ‚Bei der Lückenhaftigkeit

1) Weinertus enim censet pag. 27 sq. interfuisse quoque huic concilio „die höheren Bundesoffiziere."

2) Pauly-Wissowa, Realencyklopädie I Stuttgart 1894 s. v. Argolis.

3) Le Bas, Voyage Archéologique, Megar. et Peloponnèse 35 a.

4) Schoemann, Agis et Cleomenes. Greifswald 1839, p. 248.

der Überlieferung wird es geraten sein, das Vorhandensein dieser echt griechischen Einrichtung eines vorberatenden Ausschusses, wenn auch nicht überall in derselben Form, anzunehmen.'

Censet Busoltus p. 537 esse verisimile hoc concilium esse appellatum συνέδριον. Polybius quidem hoc nomine nusquam significat Achaeorum concilia, sed alia parva concilia velut Romanorum senatum XXI 1; XXXIII 1, aut regium concilium IV 23,5; XXVII 8 aut imperatoris III 71,5 (Hannibalis), aut senatum Carthaginiensium III 33,2 et 4. Apud Pausaniam autem invenimus συνέδριον pertinens ad Achaeorum concilium velut VII 8,1; 9,1; 9,2; 10,2; 12,2; 24,4.

Breviter attingam cetera nomina, quae indita sunt Achaeorum conciliis. Qua in re valde dolendum est, quod nullam praebent ansam ad definienda genera conciliorum, quod ita se habere haec sint argumento.

Primum significat vocabulum σύνοδος parvum legitimumque conventum (Polyb. IV 26,7) et extraordinarium (X 42,5) et magnum (Aetolorum IV 26.6). Quod adicitur καθήκουσα, non significat ubique ordinarios conventus, id quod Klattius[1]) demonstravit laudans Polyb. IV 15,8, ubi nisi extra ordinem esse non potest Aetolorum, quia sola legitima eorum σύνοδος celebratur autumno (IV 26,6; 27,1). Busoltus[2]) cur hanc ἐκκλησίαν putaverit autumnalem, non intellego. Nihil colligi potest ex Hesychi nota: σύνοδος· παρουσία πολλῶν, quia Amphictyonum quoque delectorum conventus a Strabone (IX C 420) appellantur σύνοδοι.

Deinde legitur vox ἀγορά: Polyb. XXVIII 7,3; XXIX 9,5. Ex lexicographis[3]) apparet unum e multis contionum nominibus id fuisse sine singulari vi. Rectissime autem Niebuhrius[4]) mihi videtur existimasse hoc vocabulo signifi-

---

[1]) Klatt, Chronologische Beiträge zur Geschichte des achäischen Bundes. Progr. Berlin 1883 pag. 28.

[2]) pag. 370 not. 6.

[3]) Suidas: ἡ ἐκκλησία, ὅθεν ὁ Νέστωρ Ἀγορήτης; Hesychius: ἀγορὰς Ὑπερίδης ἀντὶ τοῦ συνόδους; Etymol. Magn: ἀγορὴ σημαίνει ἐκκλησίαν, συνέδριον.

[4]) Niebuhr, Römische Geschichte II p. 35 not. 54.

cari ordinarios conventus: nam sive illa πρώτη ἀγορὰ Polyb. XXVIII 7,3 fuit proximus conventus sive primus, certe legati venire non potuerunt nisi ad concilium antea statutum. Quod enim Klattius[1]) primum conventus extraordinarii diem intellegi mavult, probari nullo modo potest, quia manifestum est legatos in conventu „ad rem unam indicto“ (cf. Liv. XXXI 25,9) primo die prodisse. Sed in illo conventu agitur de compluribus rebus (XXVIII 7 et 10: est idem conventus; neque enim potest in dubium vocari, quin in uno atque eodem concilio scriptum sit decretum — γραφῆναι τὸ δόγμα — de restituendis Eumeni honoribus (c. 7) et creati sint legati (c. 10) ἀποκομίζοντες hoc decretum.) De altero loco in proxima parte disputabo.

Tum commemoratur σύγκλητος uno loco Polyb. XXIX 9,6, quo narratur conveniendi potestatem esse factam omnibus civibus triginta annos et natis et egressis; falso autem interpretatus est Reiskius Polyb. XXVIII 5,6 sic statuens σύγκλητον Acarnanum esse, cum sit sine dubio Romanorum senatus.

Porro utuntur saepe scriptores vocabulo ἐκκλησία ad significandam contionem militum, velut Polyb. I 34,4; III 45. Eiusmodi conventus Achaeorum fit mentio apud Polybium IV 9. Sed significare quoque minus concilium apparet ex Polyb. XXVIII 3,7,10, ubi idem est ἐκκλησία quod βουλή; item puto apud Polyb. V 1,6,9 ἐκκλησίαν esse parvum concilium, quia magnum haud facile potuit transferri Aegio Sicyonem (cf. Busolt. p. 359 not. 10). — Weissenbornius ad Liv. XXXII 19,6 videtur opinari verba „dare concilium“ esse accomodata Romanae voci „dare senatum“; sed ignorat locum Polyb. IV 34,6: συνεχώρησαν δώσειν τὴν ἐκκλησίαν. — Cf. Appian. Maced. 6: οἱ πολλοὶ ἀπεχώρουν τῆς ἐκκλησίας (antea: ὁ τῶν Ἀχαιῶν σύλλογος).

Denique Pausanias utitur vocabulo σύλλογος, velut VII 9,3: ἐς τὸν σύλλογον αὐτῶν ἐπελθόντες. De eadem re Polyb. XXIII 5,1 tradit: παρουσία ἐγένετο πρεσβευτῶν Ῥωμαίων εἰς Κλείτορα καὶ σύνοδος Ἀχαιῶν et Livius XXXIX 36—38: ‚His Cli-

[1]) Klatt, Beiträge p. 31 eumque secutus est Gilbertus p. 117 not. 3.

tore in Arcadia datum est concilium.' Praeterea VII 9,1 (antea: συνέδριον), VII 10,2 (vocatur συνέδριον quoque), VII 14,3 κοινὸς σύλλογος et σύλλογος. Apud Polyb. X 42,4.5 idem et unus conventus nominatur et σύνοδος et σύλλογος.

Addere velim verba συνέδριον, σύλλογος, concilium significare quoque societatem ipsam; συνέδριον apud Paus. IV 29.2; VII 8,1; 9,3; 12,1; 14,1. σύλλογος apud eundem VII 8,3, 11,1, concilium apud Livium multis locis, velut XXXVI 35,6: ,maluerunt contribui concilio Achaico', XXXIX 48,3 et 4 etc.

Ut vero iam ad illa summa veniamus, de conciliorum compositione dicamus. Helwingius pag. 229 et Drumannus[1]) existimaverunt delectos tantum civitatium foedere coniunctarum legatos interfuisse Achaeorum conciliis. Tittmannus autem pag. 680 sq. ait omnibus civibus, dummodo triginta annos nati essent, licuisse conventibus interesse[2]), quae sententia percrebuit. Quamquam omnes sic statuerunt, propter sumptus longi itineris plerumque divites tantum cives venisse ad concilia eosque loco fuisse ceterorum civium, — quod ipsum est argumento fieri non posse, quin acceperint mandata i. e. quin fuerint delegati; mirum enim est, si temere ad concilia veniebant ibique suffragia ferebant, quicunque volebant perque opes poterant, — donec Busoltus vestigia Gilberti secutus pronuntiavit fere semper convenisse delectos tantum urbium legatos. Tittmanni autem argumenta unum ex altero promendo demonstrabo Drumanni et Helwingi sententiam potiorem esse.

Ac primum quidem ille affert Polyb. XXIX 9,1 sqq. Hic autem locus certe sic interpretandus est, ut omnes cives

---

1) Drumann, Ideen zur Geschichte des Verfalls der griechischen Staaten. Berlin 1815, pag. 463.

2) Wahner tribuit hoc ius pag. 27 not. 20 civibus fundos habentibus secutus vocem κτηματικοί Polyb. V 93,6, sed equidem facio cum Freemano censente pag. 294 not. 3 illam pertinere ad „a local quarrel between rich and poor at Megalopolis". Cf. Droysen, Geschichte des Hellenismus. 3. Band. 2. Abt. Gotha 1877, pag. 58. Praeterea Hermannus pag. 748 rectissime demonstravit Wahneri sententiam repugnare cum iis, quae tradit Polybius XXXVIII 4,5: πλῆθος, ὅσον οὐδέποτε, ἐργαστηριακῶν καὶ βαναύσων ἀνθρώπων.

viginti annos nati aut egressi invitati sint, quia nullo modo poterant venire omnes cives vel ex remotissimis Peloponnesi urbibus Sicyonem. Recte iam iudicaverat de illis duobus conciliis Schornius[1]). Wahner autem pag. 30 sq. not. 41 censet tribus causis commotum Callicratem intercedere potuisse, aut quoniam contra leges fuit ἐν ἀγορᾷ βουλεύεσθαι περὶ βοηθείας — quae causa infirmatur Polybi narratione XXVIII 7,3 et 10,7 sqq. pertinente ad πρώτην ἀγοράν, ubi decernitur quoque de auxilio Romanis in Thessaliam mittendo (pag. 14) — aut, quoniam in convocatione nil de hac re indicaverant magistratus, aut, quoniam Callicrates, ut decretum impediret, pertinaciter contendit soli συγκλήτῳ licere de auxilio decernere. Quae tertia causa sola mihi probatur. Callicrates pertinaciter contendit uni συγκλήτῳ licere de auxilio decernere, ut differret decretum, donec Romani se immiscere potuerint. Errat autem Dubois censens pag. 85: ‚La proposition de Callicratès fut adoptée grâce à l'appui de Qu. Marcius (porteur d'une lettre de senat'); nam discrepat cum apertis Polybi verbis c. 10,2: παρῆν γραμματοφόρος φέρων ἐπιστολὴν (παρὰ Κοΐντου Μαρκίου). Cur autem solam illam tertiam Wahneri rationem probem, haec est causa. Invenio apud Polybium XXXIII 15,2 eadem verba: οὔσης τῆς συνόδου τῶν Ἀχαιῶν ἐν Κορίνθῳ, hic atque illic agitur περὶ βοηθείας. Illo priore loco negat Callicrates ἐν ἀγορᾷ licere de auxilio decernere, hoc sine Romanorum permissu licere aut bellum gerere aut auxilium mittere. Quare mihi videtur Callicrates, Romanorum amicus, non iure id egisse, sed semper ficta aliqua causa populares perculisse. Equidem puto Callicratem illam legem, quam profert Polybius XXIII 12,6 sic interpretatum esse, ut contenderet omnes cives (τοὺς πολλούς) esse convocandos ad decernendum περὶ βοηθείας (pertinet autem βοήθεια ad συμμαχίαν cf. Polyb. XXI 7,2 et XXIX 9,9: πέμπειν τὴν συμμαχίαν). Est igitur illa

---

[1]) pag. 371: „Der Einspruch des Kallikrates gründete sich darauf, dass damals nicht das ganze Volk versammelt war.“ Cf. Klatt, Beiträge p. 27.

σύγκλητος conventus insolitus[1]). Quod autem Wahner putat tum omnes cives triginta annos natos convenisse, hoc fieri non potuit neque concludi potest ex verbo συμπορεύεσθαι, quippe quod usurpetur quoque apud Polybium VI 16,4 de senatu Romano, qui saepe erat infrequens.

Altero Tittmannus hoc utitur argumento: ‚Polybius illi concilio gentis non alterum opponit, sed βουλήν.' At supra vidimus eam ipsam βουλὴν non fuisse senatum sed conventum. Neque maiorem vim habent argumenta, quae repetit ex vocabulis usurpatis: ἐκκλησία, Ἀχαιοί, quoniam ἐκκλησίᾳ parvum quoque concilium significatur (Polyb. XXVIII 3,7.10) et Ἀχαιοί saepe intellegendi sunt delecti senatores velut Polyb. II 46,6; IV 26,7.

Ac duabis his causis, quas supra dixi, tertiam adiungit Tittmannus ascribens saepe mentionem fieri congregatae multitudinis.[2]) Equidem puto illis vocabulis prorsus non inesse eam vim, quam iis tribuerunt docti multi viri. Iam Schweighäuser[3]) mihi videtur rectissime sic statuisse: „Οἱ πολλοί, quorum fit mentio XXIX 9,5 et ὁ ὄχλος et τὸ πλῆθος XXVIII 7,4.14; XXIX 8,9 non sunt privati cives Achaei, sed τῆς βουλῆς membra, nisi τὸ πλῆθος et τὸν ὄχλον intellegere malimus de corona populi concilium circumstantis, qui voluntatem suam sive applausu sive murmure significabat."

---

1) Helwing pag. 230 not: „Polyb gedenkt der Zusammenberufung aller dreissigjährigen Bürger als eines ausserordentlichen Falles." Dubois pag. 131 contra Merleker. et Tittmann.: ‚Présentant comme un fait normal un événement dont le caractère exceptionnel est bien marqué par Polybe ils ont conclu, que tous les citoyens agés de trente ans assistaient indistinctement au congrès.' Ad Klatti sententiam — Beiträge pag. 26 — cf. Baier, Studien zur achäischen Bundesverfassung, Würzburg 1886 pag. 25 sq.

2) Niebuhr R. G. II p. 35 not. 54: „Die Meinung, dass die ἀγορά nur von der βουλή zu verstehen sei, ist ein grosser Irrtum, den die eingestandene wiederholte Erwähnung des ὄχλος, πλῆθος und der οἱ πολλοί nicht hätte aufkommen lassen sollen." Censent item Merleker pag. 75, Freeman. pag. 263 not. 1 („it was a primary and not a representative Assembly") eisque assentiuntur Weinert. pag. 18, Wahner pag. 27 not. 20. Subtiliter ac copiose disseruit de hac re Dubois p. 127—138.

3) Lex. Polyb. s. v. ἀγορά.

Gilbertus eiusmodi argumenta non affert pag. 116, errat autem coniciens e Polybi verbis XXXVIII 4.5: πλῆθος . . . ὅσον οὐδέποτε tale πλῆθος solitum esse a conciliis abesse.[1]) Busoltus autem proxime abest a veritate existumans p. 359 not. 10 Polybium illis vocabulis parvos quoque significare conventus. Equidem mihi videor his argumentis refellere posse sententiam τοὺς πολλοὺς pertinere ad magna concilia:

a) In utroque conventu commemorato a Polybio XXIX 8.9 mentio fit τῶν πολλῶν, quamquam ille prior conventus Corinthiacus sine dubio erat minor (vocatur postea βουλή — senatus).

b) Polybius narrat IV 26,2 τοὺς συνέδρους illarum civitatium Graecarum, quae cum Macedonibus foedus inierant (ibidem IV 9,5), misisse legatos ad singulas civitates, ut ratum fieret illud decretum παρ' ἑκάστοις διὰ τῶν πολλῶν. Achaei autem id faciunt in parvo concilio (appellatur βουλή), ut manifestum sit τοὺς πολλοὺς pertinere quoque ad delectos legatos. In errorem igitur labitur Dubois putans pag. 132 τοὺς πολλοὺς esse referendos ad singulas Achaici foederis urbes; intellegendae enim sunt sine dubio civitates Macedonibus sociae (argumento sunt IV 26.2.7; 30.1.2.6; 31.1).

c) Critolaus negat ἄνευ τῆς τῶν πολλῶν γνώμης se posse quidquam facere Polyb. XXXVIII 3.5 (Pausan. VII 14.3). Quo fit, ut agere potuerit cum Romanis et Lacedaemoniis, si affuissent οἱ σύνεδροι, qui ne venirent, antea impediverat. Pausan. VII 14,3 sq.: ἀθροῖσαι δὲ Ἀχαιούς σφισιν ἐς κοινὸν σύλλογον οὐδαμῶς ἤθελεν, ἀλλὰ ἐς μὲν ἐπήκοον τῶν Ῥωμαίων ἔπεμπεν ἀγγέλους κελεύων τοὺς συνέδρους καλεῖν εἰς τὸ Ἀχαϊκόν, ἰδίᾳ δὲ τοῖς συνέδροις ἐπέστελλεν ἐς τὰς πόλεις ἀπολείπεσθαι σφᾶς τοῦ συλλόγου. Itaque pertinent οἱ πολλοὶ ad συνέδρους i. e. βουλήν.

d) Ex ea lege, quam invenimus apud Polybium XXIII 12,6, apparet convocandos fuisse τοὺς πολλούς, cum quis attulisset litteras aut scripta mandata senatus Romani (Liv. XXXIX 33,7; Pausan. VII 9.1), nisi cum appeteret legitimus

---

[1]) Cf. Freeman p. 263 not. 2; sed ante eum impugnaverat Merleker p. 76 sq. hanc sententiam, cuius auctor est Helwing. p. 229 sq. not. 10.

conventus (Polyb. XXIII 7,5: ἀνέγνωσαν τὰς ἀποκρίσεις τῆς συγκλήτου). Tum admonuerunt Romani Achaeos, ut suis legatis semper adeundi concilii gentis fieret potestas. Tradit autem Polybius XXVIII 3,7 sqq. venisse legatos Romanorum in Peloponnesum, qui circumtulerunt senatusconsultum (Liv. XLIII 17) et conventum parvum illis esse convocatum: συναχθείσης αὐτοῖς τῆς βουλῆς εἰς Αἴγιον. Itaque inde quoque potest colligi non pertinere τοὺς πολλοὺς ad magna concilia.

e) Idem efficitur ex comparatis Polyb. XXV 1,5 et Plutarch. Arat. 35. Primo enim loco ὁ στρατηγὸς συνῆγε τοὺς πολλούς, ut reciperent Spartam in societatem, secundo adscribunt οἱ σύνεδροι τῶν Ἀχαιῶν urbem Argivorum foederi.

Populum autem esse admissum apparet dilucide e Polybi verbis XXXVIII 4,5: πλῆθος συνηθροίσθη ἐργαστηριακῶν καὶ βαναύσων ἀνθρώπων, ὅσον οὐδέποτε. Aliis quoque locis mihi videtur intellegenda esse multitudo, quamquam non infitior eiusmodi vocabula ad senatores quoque referri posse. Sunt autem hi loci:

a) Polyb. XXVIII 7,14: τοῦ δὲ πλήθους εὐδοκήσαντος τοῖς λεγομένοις ἐγράφη δόγμα. Magis autem idoneus, qui illustret hanc rem, est alter locus.

b) Polyb. II 50.51: Miserant Megalopolitani permissu Achaeorum legatos ad Antigonum, regem Macedonum, qui reversi rettulerunt ad Achaeos in contione, quae vocatur a Polybio et κοινὸν βουλευτήριον et σύνοδος. In ea contione τὸ πλῆθός ἐστιν ἐπὶ τῆς αὐτῆς ὁρμῆς atque Megalopolitani. Aratus quidem laudat τὴν διάληψιν τῶν πολλῶν, sed dissuadet. Ἐπισημηναμένου τοῦ πλήθους ἔδοξε μένειν ἐπὶ τῶν ὑποκειμένων (placuit antiquare); hoc πλῆθος pertinere puto ad multitudinem approbantem, quia non scriptum est ἐπισημηναμένῳ πλήθει ἔδοξεν, ἐπισημαίνεσθαι autem significat cum applausu comprobare multisque locis dictum est de approbante multitudine, velut Polyb. I 32,7: μετὰ κραυγῆς ἐπισημαίνεσθαι τοὺς πολλούς, I 45,4: ὁμοθυμαδὸν ἐπισημηναμένων καὶ βοώντων, III 44,5: τοῦ πλήθους ἐπισημηναμένου καὶ μεγάλην ὁρμὴν καὶ προθυμίαν ἐμφαίνοντος. III 111,1.11. Falso autem discernit Droysen. pag. 101 sq. not. 1 ‚Bundesrat‘ et ‚eidgenössische Gemeinde‘,

item errat existimans: ‚Die Megalopoliten erklärten, die Menge sei dem Antrag geneigt.... Arats Vorschlag wurde der Gemeinde vorgelegt'; sed est unus atque idem conventus neque pendet εἶναι τὸ πλῆθος ἐπὶ τῆς αὐτῆς ὁρμῆς ab διασαφεῖν, sed eodem loco est habendum; πλῆθος est idem c. 51,1 et 50,10. Probat enim primum Megalopolitarum, deinde Arati verba.

Admissa igitur est Achaeorum multitudo ad concilia; opinantur Freeman. pag. 268 et Schoemann. pag. 120 fuisse maximam partem cives urbis, ubi celebrabatur concilium, et vicinarum urbium, quae sententia mihi valde probatur. Adversor autem Vischero censenti pag. 377: „Streitig ist nur, ob nur bestimmte Abgeordnete oder alle zufällig Anwesenden für ihren Staat stimmten; das letztere scheint jedoch das Richtige zu sein,“ nixus Livi verbis XXXII 21,2: ‚respondere autem nisi ex vestro decreto qui possum?' quae verba referenda sunt ad principes Achaeorum. Sed plura de hac re postea disputabo.

Hoc denique animadvertendum esse censet Tittmannus. ‚Praeco ad dicendum et proponendum invitabat promiscue omnes, quicunque aderant.' Ego contra puto suadere et proponere tantum fuisse „senatorum“, id quod confirmatur his argumentis:

a) Invenimus apud Livium trito illo loco XXXII 20,1: ‚Suadendi, si quis vellet, potestas a magistratibus facta est.' Imprimis illud animadverto, quod ab omnibus viris doctis omissum est, opponi inter se senatus singularum urbium (non contiones urbium — ἐκκλησίαι, quarum fit mentio apud Polybium XXXVIII 3,7: Κριτόλαος ἐπιπορευόμενος κατὰ τὸν χειμῶνα τὰς πόλεις ἐκκλησίας συνῆγε) et communia concilia gentis, unde colligo hoc quoque fuisse eiusmodi, i. e. parvum concilium (c. 19,9). Concluserunt omnes viri docti ex illis verbis licuisse omnibus, quicunque adessent contioni, sententiam dicere. Occurrit nobis c. 21,1 vox: „principes Achaeorum“, quam alius alio modo est interpretatus. Tittmannus existimavit pag. 680 subesse Romani scriptoris errorem; Schornius pag. 372 not. putat nobiles fuisse, quem secutus Merleker p. 75

admonet hanc consuetudinem iam valuisse in Homeri carminibus, ut tantum nobiles alloqueretur orator, quippe qui consuevissent sententias dicere. A quibus dissentit Wahner opinans pag. 28 not. principes intellegendos esse magistratus (sc. foederis, non singularum urbium), id quod nullo modo potest probari, quia Aristaenus praetor eos significat privatos (c. 21,1: ,forsitan ego quoque tacerem, si privatus essem'); gerere quidem possunt ἀρχάς in suis quisque civitatibus, sed non κοινὰς ἀρχάς (de Aetolis Polyb. XXII 26,11). Adhibendus est locus Pausan. VII 14,1: τοὺς ἐν ἑκάστῃ πόλει τῶν Ἀχαιῶν ἔχοντας τὰς ἀρχάς; ad eundem conventum pertinent verba Justini XXXIV 1,6: ,omnium civitatium principes'. Illustratur haec quaestio etiam Liv. XXXV 25: ,Omnium sententiae inclinatae erant . . . cum principum alii in sententia permanerent'. Verisimile igitur mihi est in numero βουλευτῶν fuisse magistratus quoque singularum urbium; mirum autem est, si Dubois pag. 123 ex Livi verbis c. 19,9: ,neque solum, quid in senatu quisque civitatis suae aut in communibus conciliis gentis pro sententia dicerent, ignorabant', conclusit constitisse ex ,chambres locales' singularum urbium. Freemanus p. 266 not. 1 concedit sibi non constare, utrum sint δαμιοργοί an leading men of any aristocratic class.

Hos principes alloquitur praetor c. 21,2: ,Quoniam nemo vestrum, qui in hoc concilium advocati estis, pro sententia quicquam dicere vult aut audet', antea: ,respondere autem nisi ex vestro decreto qui possum?' Cum exponit res, in universum alloquitur (c. 21,7.16) Achaeos, quam vocem quoque ad senatores referri posse supra vidimus (pag. 17). Verba autem: ,populi universi inter se altercabantur' (c. 22,1) non discrepant ab hac sententia (cf. c. 22,9), quia ,singuli' pertinent ad Argivos, qui non omnes stabant a Philippo, et ,universi populi' ad Dymaeos et Megalopolitanos, qui dissenserunt cum ceteris.

Huc accedit, quod Argivorum civitas paulo post illum conventum Macedonibus prodita est per quosdam principes (Liv. XXXII 25,1). Narravit autem Livius c. 22,9

quosdam Argivorum, priusquam decretum fieret, reliquisse concilium, qui idem quin urbem Philippo prodiderint, in dubium vocari non potest. Itaque principes i. e. βουλευταί fecerunt decretum, quia Argis multitudo Philippi causae addicta erat (c. 25,1.3.7). Weissenbornius ex verbis: ‚contionis tantae, ex tot populis congregatae' (c. 20,7) colligit non solum principum conventum fuisse, qui alias primi pronuntiassent sententias. Sed proferam, quod ille ipse ad vocabulum ‚hominum', quo Livius XXXI 25,6 utitur, adnotat: „Rem ita se habere, ut Romae de senatoribus, cum ad extraordinarios conventus solerent venire non permulti cives, fortasse legati tantum convocarentur singularum urbium[1]) affertque ibi locum, qui est XXXII 21,2: ‚advocati estis'. Ergo, si consentaneus sibi esse voluit, idem ei adnotandum fuit ad hunc conventum, quia hic quoque Livius c. 19,10 tradidit: ‚Ad homines ita incertos introductis legatis'. Verba autem illa: ‚Contio tanta . .' referri possunt ad multitudinem, quae praeter senatores interesse poterat (pag. 19).

Quae cum ita sint, etiam in illo Sicyonio concilio soli principes, i. e. legati singularum civitatium sententias non dixerunt quidem (debuerunt autem), sed decretum fecerunt. Idem censent et Mommsenius[2]) et Hertzbergius.[3]) Quod autem Dubois (pag. 136) existimat differre inter se concilium et contionem[4]), non assentior, quia de eodem secundo die dictum est ‚contio tanta' neque differunt illa vocabula inter se apud Liv. XXXI 25,2: ‚cum Argis Achaeorum concilium esse audisset, inopinantibus Achaeis contioni ipsi supervenit' et c. 25,10: ‚concilium dimisit.'

---

1) Aliter censet Freemanus p. 269 sq. ad conventus extraordinarios venisse multo plures quam ad legitimos, quia in illis agebatur de gravioribus rebus.

2) Mommsen R. G. [8] I pag. 711: „Die Gesandten der am engsten an Macedonien geknüpften Städte . . . verliessen die Tagsatzung."

3) p. 73: „Unter solchen Umständen verliessen am Tage der Entscheidung die Vertreter der dem König Philipp tief verpflichteten und eng befreundeten Städte die Landesgemeinde vor der Abstimmung."

4) De secundo concilii die: La contio est congédiée et la scène se passe en présence du concilium — une réunion plus restreinte.

b) Polyb. XXVIII 7,4: 'Ο μὲν ὄχλος ἄδηλος ἦν ἐπὶ τίνος ὑπάρχει γνώμης, πρὸς δὲ τὴν ἀντιλογίαν ἀνίσταντο πολλοί. Opponuntur igitur inter se ὁ ὄχλος et πολλοί, qui prodeunt ad dicendum. Ex hominibus autem τοῦ ὄχλου emergebant illi πολλοὶ nullo modo, quia sic apparuissent multitudinis sententiae, quam habuisse aliquam γνώμην liquet ex eis, quae subsequuntur: ‚προσέδραμε μάλιστα πρὸς τὴν τῶν πολλῶν γνώμην' — proxime accessit Polybius ad multitudinis sententiam. Falso autem interpretatus est haec verba Dubois p. 137: ‚Polybe lui-même s'efforçait de les (sc. τοὺς πολλούς) gagner à son avis'. Ergo non licuit multitudini sententias dicere; desideratum tum nil aliud est nisi murmur multitudinis aut applausus, quae subsequi solebant orationes habitas, velut apud Polyb. II 50,51; XXIX 9,9.

c) Polyb. XXIII 8,13: Postquam demonstratum est turpe esse Eumenis donum, ἐπὶ τοσοῦτον παρέστη τὸ πλῆθος (cf. antea: διεσάφησαν τοῖς πολλοῖς) ὥστε μὴ τολμῆσαι μηδένα συνειπεῖν τῷ βασιλεῖ, πάντας δὲ μετὰ κραυγῆς ἐκβαλεῖν τὴν προτεινομένην δωρεάν, ubi manifestum est 'τοὺς συνειπόντας' exspectandos fuisse e numero senatorum, quia neminem non allexisse eorum pecuniam a rege promissam in promptu est. (Est operae pretium comparare verba Polybi c. 8,4 τὸ γὰρ ὀψωνιάζεσθαι τὴν βουλὴν ὑπ' Εὐμένους et Diodori XXIX 17 ὀψωνιάζεσθαι τὴν τῶν Ἀχαιῶν σύνοδον).

Ergo magna concilia omnino non fuisse mihi videntur apud Achaeos, quia solis legatis urbium delectis licuit sententias dicere et decreta facere. Rectissime autem Dubois p. 134 statuit tum fuisse rationem, cur omnes cives convenirent, cum data essent suffragia viritim, qua re civitates magis remotae magnum detrimentum accepissent, quia ex eis pauci admodum venerunt ad concilium. Cf. Freeman, pag. 271 sq.: ‚Had the votes been taken by heads, the people of the town where the Meeting was held, could always have outvoted all the rest of the League . . . and the danger would have been greater still when, in after times, assemblies was held in great cities like Corinth and Argos.' Censet praeterea Dubois cives nil fuisse futuros nisi ‚spectateurs'

idque rectissime. Perverse igitur iudicavit de hac re Kortümius.[1] Nam si Achaei suffragia tulissent viritim, equidem non puto Megalopolitanos, Dymaeos, Argivos suam causam statim fuisse desperaturos. Cf. Appian. Maced. 6: ‚οἱ πολλοὶ τῆς ἐκκλησίας ἀπεχώρουν' et ‚οἱ πλείονες ᾑροῦντο τὰ Φιλίππου.'

Omnino in conciliis Achaeorum non viritim suffragia data esse apparet e Liv. XXXII 23,1: ‚ceteri populi (πόλεις) Achaeorum, cum sententias perrogarentur', quem locum recte explicavit Weissenbornius. Altera quoque causa afferri potest: Si concilia Achaeorum composita fuerunt ex delectis singularum urbium legatis, mirum esse non potest reputantibus, quot concilia brevi temporis spatio saepe agitata sint (Liv. XXXVIII 30—32, XXXIX 35.36) et saepe futurum fuisse, ut ex urbibus remotissimis nemo veniret ad concilium, si loco omnium urbis civium fuissent ei, qui facere volebant longum iter ad conventum.

Ita etiam intellegi potest, cur equites habuerint tantam potentiam, quantam eis tribuit Plutarchus Philop. 7: διὰ τὸ πλεῖστον τοὺς ἱππέας δύνασθαι ἐν τοῖς Ἀχαιοῖς καὶ μάλιστα κυρίους εἶναι τιμῆς καὶ κολάσεως et 18: τοὺς ἱππέας, οἵπερ ἦσαν ἐνδοξότατοι μὲν τῶν πολιτῶν. Cf. Busolt. p. 357 not. 1, Droysen. III/2 pag. 58, Freeman. pag. 295 not. 1: ‚The κόλασις parliamentary rather than judicial, as the τιμή clearly refers to the influence of the equestrien class in disposing of the great federal magistracies.' Droysenius autem eo loco divites (falso κτηματικούς; cf. pag. 15) negat munere legatorum ad concilia delectorum functos esse, quippe quod oppositum fuisset δημοκρατίᾳ. Sed huic vocabulo non tantam vim esse tribuendam apparet ex illis verbis, quae olim pronuntiaverat Aristoteles Pol. I 5.2. 1292 a: συμβέβηκε . . τὴν μὲν κατὰ νόμους εἶναι πολιτείαν δημοτικωτέραν, τῇ δ' ἀγωγῇ καὶ τοῖς ἤθεσιν ὀλιγαρχεῖσθαι μᾶλλον (cf. Freeman. pag. 267 not. 1).

Quae cum ita sint, non dubium mihi esse videtur, quin apud Polyb. XXIX 9, 10: ἔδει τὰ ψηφίσματα προσφέρειν τοὺς βουλομένους restituenda sit prior lectio: τοὺς βουλευομένους i. e. senatores. Cf. de illa Reiskii coniectura Merleker. pag. 78.

1) Kortüm, Griechische Geschichte III p. 160.

Quomodo enim multitudo rerum publicarum ignara proponere aliquid potuerit in conciliis nescio (cf. Dubois pag. 130 sq.) Ceterum Polybius apertis verbis dicit affuisse τοὺς βουλευτάς (μὴ μόνον συμπορεύεσθαι τὴν βουλήν).

Senatum illum ex legatis urbium constitisse multi quidem pronuntiaverunt, sed nemo argumentis comprobavit. Invenisse mihi videor hos legatos apud Polyb. V 102,8 sq.; mentio enim ibi fit τῶν συνέδρων τῶν ξυμμαχίδων πόλεων et soli Achaeorum legati intellegendi sunt (cf. V 105.3). Quos legatos commemorat Plutarchus Arat. 35. ubi Argos recipiunt in societatem et anno post praetorem creant. Pausanias VII 14.3. unde apparet eos formasse σύλλογον aut κοινὸν σύλλογον et ex singulis urbibus fuisse (c. 14,4: ἰδίᾳ δὲ τοῖς συνέδροις ἐπέστελλεν ἐς τὰς πόλεις.)

Quod autem supplevit Foucartus[1]): οἱ σύνεδροι τῶν Ἀχαιῶν, non consentio. ut malim substituere: οἱ δαμιοργοί; stant enim ab altera parte Ὀρχομενίων ἄρχοντες. At σύνεδροι non sunt ἄρχοντες[2]), δαμιοργούς autem significatos esse ἄρχοντας apparet e Polyb. XXIV 5,16 (cf. supra pag. 6). Praeterea apud Plutarch. Arat. 43 sq. scriptum est Aratum et demiurgos obviam factos Antigono et dedisse et accepisse iusiurandum. Itaque mirum est, quod hic omittuntur demiurgi in iureiurando dando.

In errorem autem labuntur et Dubois, cum interpretans pag. 126 Liv. XXXIV 48.3: ‚legationes omnium civitatium' censet Achaici concilii esse civitates[3]) et Cauer[4]) idem coniciens e Livi verbis XXXIV 22,6: ‚omnium civitatium sociarum legationes'.[5])

[1]) Revue Archéologique 1876 t. XXXII pag. 93 sq., quae inscriptio quoque est apud Dittenberger. Sylloge inscriptionum Graecarum [1] I 178.

[2]) C. J. G. 1543: Δυμαίων τοῖς ἄρχουσι καὶ συνέδροις et in epistula Philippi, regis Macedonum, intexta Demosthenis orationi περὶ στεφάνου 280: βασιλεὺς Μακεδόνων Φίλιππος Πελοποννησίων τῶν ἐν τῇ συμμαχίᾳ τοῖς δαμιοργοῖς καὶ τοῖς συνέδροις καὶ τοῖς ἄλλοις συμμάχοις χαίρειν.

[3]) Mommsen R. G. [8] I p. 720: „Die Abgeordneten sämtlicher hellenischer Staaten." Hertzberg p. 90: „grosse panhellenische Nationalversammlung."

[4]) Pauly-Wissowa s. v. Argolis.

[5]) Mommsen. p. 718, Hertzberg. pag. 85 sq., Neumeyer, Philo-

Reliquum est, ut pauca dicam, qua ratione illi σύνεδροι sint electi. Optime disseruit de hac re Dubois pag. 123 sqq. impugnans suo iure Wahneri sententiam (pag. 33). Censet enim rectissime, quia fuerit βουλή „un senat représentatif," nusquam nisi in singulis urbibus ipsis eam esse electam et affert Livium XXXII 19,9, quo loco demonstratur βουλευτὰς eosdem fuisse et suae civitatis et gentis universae. Quae eadem est causa, cur convocatio conciliorum fuerit restricta legibus.

Tertium erat propositum, ut quaeramus, quando celebrata sint Achaeorum legitima concilia. Multi vel potius omnes, qui de hac re disputaverunt, conquesti sunt, quod nil certi inveniri potuisset. Collegerunt autem ex Pausaniae verbis VII 24,4 collatis cum Strabonis IX 420 C recte eiusmodi conventus esse habitos vere et autumno. Unger[1]) autem recte quidem negavit mense Maio concilium ordinarium esse agitatum, sed iniuria verna concilia improbavit. Errat igitur Gilbertus pag. 116 existimans conventus tantum mense Maio celebratos stabiliri posse.[2]) Ex nonnullis autem Polybi et Livi locis equidem puto posse effici illos conventus esse habitos unum mense Octobri, alterum Aprili mense. Loci autem, qui sunt idonei, quibus diiudices hanc controversiam, hi sunt:

a) Liv. XXXVIII 30, quem locum primus recte interpretatus est Wahner pag. 25 not. 14 demonstrans non fuisse illum conventum extraordinarium.[3]) Tempus autem huius concilii definiri potest et iis, quae ei antecesserunt, et eis, quae successerunt. Fulvius Nobilior, consul anni 189, sociorum Epirotarum stimulis permotus coepit obsidere Ambraciam urbem θέρους ὄντος Polyb. XXII 9,4 (Liv. XXXVIII 3,11: adesse aestatem aptam rei gerendae) i. e. mense

poemen pag. 39: „Auf einer grossen Versammlung zu Korinth wurde von sämtlichen Hellenen der Krieg gegen Nabis erklärt."

1) Das Strategenjahr der Achäer. Sitzungsberichte der bayr. Akademie 1879. Philos.-philol. Klasse 2. Band pag. 117—192.

2) Falso Klattius quoque scribit p. 31: Versammlungen im Mai.

3) Errat Freemanus censens p. 651 not. 2: ‚seemingly a Special Assembly to entertain this question.'

Maio.[1]) Oppugnata est urbs per quindecim dies (Liv. XXXIX 4,9.) Deinde consul profectus Argos Amphilochium, quo tandem venerunt Aetolorum legati ‚mirante consule, quod morarentur', in Cephalleniam traiecit (Liv. XXXVIII 10,1—3), ubi Same urbs obsidionem sustinuit quattuor mensium (c. 29,9). Inde consul Cephalleniae rebus compositis traiecit in Peloponnesum mense Octobri, ut computari potest. Idem efficitur contemplando res, quae subsequuntur. Fulvius ab illo conventu paulo post Argivum habito in Eleorum urbe (Liv. XXXVIII 32,3) Romam est profectus comitiorum causa, quia iam in exitu annus erat c. 35,1, ex mandato senatus (Liv. XXXVII 50,6). Novi autem consules magistratum inierunt Idibus Martiis, i. e. ex Ungeri rationibus (p. 123) pridie Idus Decembres calendarii emendati. Comitia anni sequentis habita sunt ‚exitu prope anni solito serius' a. d. XII. Kal. Martias (Liv. XXXVIII 42,2), ut nobis liceat concludere hoc quoque anno (189) creatos esse consules medio mense Novembri. Porro, cum iter ab urbe Argis in Elin faciendum, moram ibi interpositam iterque inde Romam computamus, hoc quoque modo efficitur illum legitimum Argivum conventum esse agitatum mense Octobri.

b) Liv. XXXVI 35,7: ‚Consul ad Achaicum concilium Aegium traiecit.' Est legitimus conventus autumni 191[2]) habitus, ut rectissime iudicavit Unger p. 134, mense Octobri ratione sine dubio habita c. 34,8: ‚Cum iam prope circumactus sit annus imperii tui'.

Temporis autem indicia non sunt tam prospera quam loco praecedenti. Consul Acilius Glabrio a. d. V. Non. Maias ex urbe profectus copias Idibus Maiis evocaverat Brundisium (Liv. c. 3,13 sq.). Principio veris in Thessaliam pervenit (c. 13 sq.). Obsidione liberantur aliae urbes, aliae praesidiis impositis, vincitur Antiochus ad Thermopylas, componuntur Euboeae res (c. 20). Unde reversus consul per viginti quattuor dies oppugnat Heracleam (c. 23,6), qua urbe capta

[1]) Ideler, Handbuch der Chronologie I pag. 241 sqq., Polyb. V 1.

[2]) Cf. Weissenborn. ad hunc locum et Schorn. p. 292.

Aetoli petiverunt pacem. Bis denorum dierum eis dantur indutiae (Polyb. XX 9,5; 10,12 eumque secutus Liv. c. 27,3; 28,7.8), sed pax non convenit inter Aetolos et Romanos. Deinde consul oppugnat Naupactum per duos menses (c. 34,2), donec dantur Aetolis deprecatore usis Flaminino apud consulem indutiae in diem certam (c. 35,6). Tum consul Aegium traicit. Aetolorum autem legati Romae, cum novi consules inissent magistratum, iam instabant, quia brevem diem haberent indutiarum (Liv. XXXVII 1,1). Verisimillimum igitur est illum conventum esse habitum mense Octobri.

c) Polyb. XXVIII 10,1 sqq., cuius concilii tempus accuratius definiri potest. Quo de conventu supra dixi pag. 14. Decernunt Achaei in hoc concilio legatos mittere ad consulem[1]) in Thessaliam irrogantque eis mandata. Qui statim profecti occurrunt Romanis, qui iam moverant ex Thessalia, ubi Romanos esse Achaei opinati erant, in Perrhaebia inter Azorum et Dolichen (Polyb. c. 10,11). Marcius autem consul Roma profectus est principio veris (Liv. XLIV 1,1) i. e. sub finem Martii mensis[2]), solvit statim Brundisio, venit tertio die Actium egressusque ad Ambraciam terrestri itinere Thessaliam petiit (Liv. XLIV 1). Decimo post die, quam acceperat exercitum, movit (c. 2,4) et post aliquot dierum itinera castra habuit stativa inter Azorum et Dolichen (c. 2,8), ubi ad eum veniunt Achaeorum legati. Haec igitur facta sunt prima Aprilis mensis parte, et cum legati missi sint ‚in Thessaliam ad consulem' iique extemplo profecti sint, efficitur, ut ille conventus habitus esse non possit nisi eodem tempore, i. e. mense Aprili. Ergo Unger errat existimans pag. 138 agitasse Achaeos illum conventum mense ante veris principium.

---

[1]) Intellegendus est consul Marcius; cf. c. 11 et ob hoc ipsum, quod Polybius Hostilium antea — falso quidem, ut infra demonstrabo — appellat: 'ἀντιστρατηγόν' c. 3,1 et: 'ἀνθύπατον' c. 5,6 eumque secutus Liv. XLIII 17 fin: ‚proconsulem'.

[2]) Ex altero indicio, quod invenimus apud Liv. XLIII 15,3: ‚Latinis actis' nil argumenti potest sumi, quia Latinae feriae erant conceptivae; cf. Marquardt, Handbuch der römischen Altertümer IV pag. 443.

d) Aggrediar nunc exponere illum Polybi locum XXXVIII 3,5, unde manaverat sententia omnium superiorum scriptorum de binis anni legitimis conciliis, donec Unger pag. 138—146 aliam rationem interpretandi instituere conatus est.[1]) Supervacaneum est admonere omnes, qui conventum Tegeam indictum tribuerunt mensi Maio[2]), id fecisse propterea quod id tenent semper Maio mense praetores Achaeorum inisse magistratum, quae sententia hoc ipso loco refellitur. Interest enim Critolaus proelio ad Scarpheiam commisso praetor (ὤν), quod K. F. Hermannus[3]) rectissime assignavit mensi Junio (cf. legem quoque apud Polyb. XL 2,1).

Tradit autem Polybius hoc loco migrasse Critolaum per foederis urbes κατὰ τὸν χειμῶνα, i. e. ea hieme, quae tum suberat. Neque enim mihi fieri potuisse videtur, ut Critolaus inter tres quattuorve hebdomadas peragraret omnes urbes evocaretque plebem ad concilium, sicut statuit Unger. Ex cap. 4 apparet Metellum ex Macedonia tum demum misisse legatos, cum de his rebus turbulentis a Critolao excitatis esset certior factus — legati priores statim Romam redierant. Itaque dubium non esse mihi videtur, quin ille Aegiensis conventus (cap. 2) fuerit legitimus autumni 147, ubi fortasse Critolaus est creatus praetor.[4]) Certe cum colloquium Tegeae haberetur, iam fuit praetor (Paus. VII 14,2). Est igitur illud Aegiense concilium celebratum mense Octobri, quia hiems est subsecuta. Alterum autem concilium habitum est sex mensibus post, i. e. mense Aprili; neque enim quisquam Polybi verba: μετὰ μῆνας ἕξ computet ab ipso extraordinario Tegeam indicto.[5]) Ungeri autem subtilis coniectura loci Paus. VII 14,5: ἐς μῆνα ἐσομένην Ἕκτον (i. e. Martium-Aprilem) non pugnat cum mea sententia, quia hunc mensem circumscribit nono die Martii et eodem Aprilis

---

1) Cf. Klatt, Beiträge pag. 38—41.

2) Merleker pag. 434, Wahner pag. 26 not. 16, Dubois pag. 115.

3) Hermann, Beiträge zur klassischen Literatur und Altertumskunde pag. 354 not. 20 („Eroberung Korinths und ihre Folgen".)

4) Freeman. p. 696 et Hertzberg p. 256 sqq.

5) Busolt p. 358 not. 1.

mensis die.[1]) Quod autem censet A. Bauer[2]) ordinarios binos anni conventus esse habitos Octobri et Maio mensibus, hoc alterum nullo modo potest probari. Ceterum equidem puto illum Corinthiacum conventum (Polyb XXXVIII 4.2) esse extra ordinem convocatum a Critolao. id quod demonstrare mihi videntur verba Polybi ipsa: συνηγμένων τῶν Ἀχαιῶν εἰς Κόρινθον κατὰ τύχην ἐλθόντες εἰς τοῦτον τὸν καιρόν (sc. legati a Metello missi). Qua de re aliter sentiunt Hertzberg. pag. 60 et Freeman. pag. 698: ‚Spring Meeting May 146.'

e) Polyb. IV 26,7.8: Legitimus conventus anni 220 celebratus est eo tempore, quo Aetoli comitia habebant praetori creando. Habebantur autem haec comitia μετὰ τὴν φθινοπωρινὴν ἰσημερίαν εὐθέως Polyb. IV 37.2. Ungero (pag. 135 not. 1) verisimile est fuisse post nonum Octobrem. Itaque hoc quoque loco confirmatur mense Octobri unum legitimum concilium esse celebratum. Equidem ausim opinari illos conventus esse habitos unum circa posteriorem exortum, alterum circa posteriorem occasum Vergiliarum sideris. i. e. mensibus Octobri et Aprili.[3])

f) Non liquet, utrum concilium, in quo recitantur Persei regis litterae (Liv. XLI 23—25), fuerit legitimum an extraordinarium; si legitimum, Aprili mensi tribuendum est. Fit enim mentio Non. Juniarum cap. 22,1 traditurque per id tempus (sub vernum igitur tempus) profectum Perseum in Dolopas subegisse eos celerrime, deinde escendisse Delphos ibique moratum tres dies in regnum redisse, ex quo itinere Achaeorum quoque amicitiam studuit sibi conciliare (c. 22.4—23). Ordinarium fuisse conventum colligam equidem ex eo, quod in promptu est conicere principes[4]) indignabundos, quod Perseus tantam rem non dignam existimavisset legatione — et ob hanc causam decretum distulerunt c. 24.19 — vix convocaturos fuisse conventum extraordinarium

---

1) Unger p. 135 not. 1.

2) Jahresbericht über die Fortschritte der klassischen Altertumswissenschaft Band 60 p. 167.

3) Cf. Polyb. V 1,1; Boeckh, Sonnenkreise der Alten p. 113.

4) Demiurgos recte Weissenbornius est interpretatus: „Wahrscheinlich sind zunächst die Magistrate, die Demiurgen gemeint."

(praetor enim solus non potuit edicere concilium, quod supra demonstravimus pag. 6 sqq., et evocasset Xenarchus praetor, quia ‚quaerebat gratiae privatae aditum apud regem‘ c. 23,4). Principes autem non esse senatores apparet ex eo, quod ‚plerique moderate et benigne scriptas esse litteras regis censebant‘ c. 23,4 et idem assentiebantur Arconis verbis Perseo amicis c. 24,19. Argumentum quoque praebet c. 23,4, ubi legimus divites censuisse de litteris recitatis; nam scriptum est eo loco: ‚plerisque . . . censentibus atque iis maxime, qui praeter spem recepturi essent amissa mancipia.‘

Haec sententia de binis anni conciliis valuerat, donec Unger (pag. 128—133) pronuntiavit quaterna singulis annis esse agitata, praeter autumnale unum mense Junio paulo ante messem, alterum mense Sextili, sub finem hiemis tertium. Klattius[1]) contra Ungerum conatus est eam sententiam infirmare, sed, ut ipse dicit pag. 29, satis habuit ostendere conventus, quos Unger profert, ordinarios non necessario fuisse putandos. Facit cum Ungero Baier pag. 25—30. Mihi videtur Ungeri sententia non posse temere tolli, quamquam haereo, quid dicam de spatiis disparibus interiectis inter concilia, quorum tria assignat opportuno anni tempori.

Ac primum quidem existimo iniuria Ungerum sub finem hiemis censere ordinarium conventum esse habitum. Quattuor autem conciliorum, quae affert, unum esse celebratum Aprili mense (Polyb. XXVIII 7 et 10) iam supra demonstravi pag. 28, de altero (est Corinthiacum — Polyb. XXXVIII 4,2) cf. pag. 30. Tertium illud Corinthiacum (Polyb. XXIX 8 et 9) non tribuo extremae hiemi; dubitationem enim mihi movet, quod litterae in Sicyonium conventum, qui subsecutus est, mittuntur a Marcio (fuit consul anni 169); novus autem consul Aemilius Paullus praemature Roma profectus statim post ferias Latinas, quae fuerant eo anno pridie Calendas Apriles (calendarii confusi), in Macedoniam pervenit Liv. XLIV 22,30.[2]) Nil impedit, quominus eum existimemus legi-

---

[1]) Beiträge pag. 26—31.

[2]) Hertzberg p. 216: „bestimmten inzwischen den Konsul Marcius zur Einmischung.“

timum autumni 169 conventum.[1]) De quarto denique conventu Polyb. II 54,3 nil certi afferri potest, quia non constat, quando Antigonus venerit in Peloponnesum.[2])

Infitiari nemo potest praeter illos duos conventus alios quoque habitos esse legitimos, velut eum, quem commemorat Polyb. V 94, quem conventum ordinarium esse colligo ex ipsis Polybi verbis V 94.3: τηρήσας τὴν τῶν Ἀχαιῶν σύνοδον, quia nemo potest insidiari concilio nisi ordinario. Praeter illos Ungeri locos alium quoque afferre possum, Polyb. II 54.13, quo loco traditum est: συνάπτοντος τοῦ χειμῶνος (Ἀντίγονος) παρῆν εἰς Αἴγιον πρὸς τὴν τῶν Ἀχαιῶν σύνοδον narratumque est Cleomenem eo tempore, quo Antigonus cum Achaeis Aegii deliberaret de rebus futuris, urbem Megalopolim cepisse repentina incursione, quae ei tribus mensibus ante male successisset (c. 55.5.6). Illam autem priorem incursionem ausum esse regem Lacedaemoniorum tradit Polybius IX 18.1—5 περὶ τὴν τῆς Πλειάδος ἐπιτολήν, ubi noctes iam admodum breves essent, i. e. mense Maio. Itaque cepit ille Megalopolim mense Sextili et verba Polybi sunt aut falsa[3]) aut parum accurata.[4]) Quo efficitur, ut ille legitimus conventus habitus sit mense Sextili. Schoemannum autem fugit ille Polybi locus IX 18, cum diceret[5]) ea hieme captam esse Megalopolim improviso impetu.

Atque dubium esse non potest, quin conventus a Livio XXVIII 7 commemoratus aestate sit celebratus. Livius enim tradit XXVII 35,3: ,simul quod Olympiae ludicrum ea aestate futurum erat' et XXVIII 7,14: ,nuntius adfertur Machanidam Olympiorum sollemne ludicrum parantis Eleos aggredi statuisse.' Quibus ut auxilio veniret, Philippus rex Elatea protinus expedito agmine profectus sero venit ,Aegi-

---

[1]) Cf. Klatt, Beiträge p. 23 et quae infra dicentur de usu vocabuli ἔτι.

[2]) Schoemann, Agis et Cleomen. Prolegom. p. 43 § 11 censet: ,adventum Antigoni in autumnum Ol. 139, 2, in Septembrem fere incidisse', Droysen III 2 p. 113: „Das war etwa im Sommer 223“, Unger mense Decembri eum advenisse putat.

[3]) Schorn. pag. 126 not. 4.

[4]) Droysen III/2 pag. 127 not. 1.

[5]) Proleg. ad Agim et Cleom. pag. 43.

umque ad concilium Achaeorum se recepit' c. 7,15—18. Cf. etiam c. 5,15: ‚segetibus, quae prope maturitatem erant . . . evastatis', ut verisimile fiat Ungerum suo iure tribuisse hoc concilium mensi Sextili.[1]) Verba Livi ipsa indicant non fuisse extraordinarium concilium, ut Klattius censet pag. 29. Quod autem Polyb. IV 14 tradit, malim tribuere mensi Junio neque est vernum concilium, quia aestas iam coeperat (IV 7,10) neque autumnale (IV 26,7.8), — quia ex Polybi narratione apparet non ita multo post accepisse Achaeos cladem ad Caphyas, quam iniit Aratus praeturam (IV 7,10; 9,1; 10,4—14,1), et quia Philippus rex cunctatus auxilio venire (c. 16.3 sqq.) iterum iubetur ab Arato (c. 19,1); tandem Corinthum pervenit Tegeamque profectus eo rediit, quibus rebus equidem puto non suffecisse spatium vix duorum mensium; Unger enim id tribuit mensi Sextili. Utrum autem ille conventus apud Polyb. XXIII 7,2 habitus sit mense Junio an postea, non liquet. Droysenius[2]) negat voce πανήγυρις (Polyb. XXIII 10,1) significari Nemea. Doleo, quod eis, quae de legatione Caecili Livius XXXIX 24,13—27 scribit, concilii tempus definiri non potest. Legitimum autem fuisse conventum apparet ex eo. quod non de una re deliberatur.[3]) De concilii, quod vocatur δευτέρα σύνοδος a Polyb. XXIV 12, 12, tempore cf. Busolt. pag. 358 not. 2. Alii[4]) ducunt id autumnale, alii[5]) vernum. Gilbertus falso explicat haec verba 116/7 not. 3 respiciens priorem Megalopolitanum conventum (Plut. Philop. 21); sed hic fuit exercitus conventus. Summa disputationis haec est: Certe habita sunt legitima concilia mensibus Octobri et Aprili, eadem mensibus Junio et Sextili habita esse verisimilie est.

Ut ad illud quartum veniamus, dicemus de comitiorum tempore. Consentiunt omnes viri docti temporibus belli

---

1) Weissenbornius sic existimat: „Wahrscheinlich die Herbstversammlung — 208“?

2) Herm. XIV pag. 24.

3) Errat Klattius Beiträge pag. 28 sq.

4) Weinert. pag. 16 sq., Hermann. pag. 748.

5) Freeman pag. 649 not. 4: ‚δευτέρα σύνοδος, quia the official year began in November.‘

socialis Achaeorum praetores inisse magistratum circa Vergiliarum exortum i. e. mense Maio, sed multi[1] eorum erraverunt existimantes illos eo tempore etiam esse creatos fidem habentes parum accuratis Polybi locis IV 37.2 et V 30.7, quos locos rectissime explicuit Unger pag. 136 not. 1. Ille id quoque demonstravit aliquod temporis spatium interiectum esse inter comitia et praeturae initium interpretans locos Polyb. IV 82, V 1 et IV 6,7.7.[2]) De comitiorum autem tempore nil certi afferri potest. Unger Klattio exposuit per litteras se discernere ἀρχαιρεσίας a conciliis[3]), id quod mihi non probatur, quia puto praetorum electionem fuisse inter sollemnia et quotannis perficienda negotia, quae transigebantur in legitimis conciliis. Mihi autem videntur illis temporibus creati esse Achaeorum praetores in vernis conciliis habitis mense Aprili (cf. supra pag. 26 sqq.). Idoneos locos, qui aliquam lucem afferant huic quaestioni, opinor esse Polyb. IV 6,7.7 et IV 82.87.

a) Polybius tradit IV 6.7: Ἄρατος καθίστατο εἰς τὸν ἐνιαυτὸν τὸν ἐπιόντα στρατηγὸς ὑπὸ τῶν Ἀχαιῶν, quae verba Freeman. pag. 509 explicat fuisse Aratum ‚General-Designate, not General-Elect' eiusque electionem ante καθήκουσαν σύνοδον (IV 7) rem exploratam (‚before the Meeting — surely the regular Spring Meeting of the year 220 — an understood thing'). Colligo autem ex verbis additis: οὔπω δ' ἔμελλε τὴν ἀρχὴν ἕξειν Aratum tum iam fuisse creatum praetorem. Hunc esse legitimum conventum censent etiam Wahner pag. 26 not. 15 et Gilbert. pag. 117 not. 3 et pag. 118 not. 3. Quomodo autem hic dicere potuerit: ἡ ἐκ τῶν νόμων σύνοδος et Busolt. pag. 356 not. 5: καθηκούσης αὐτοῖς τῆς ἐκ τῶν νόμων συνόδου, non intellego, quia articulum non invenio apud Polybium. In errorem quoque labitur Busoltus existimans illo loco habitum esse illud concilium sub vernum tempus anni 220; recte enim dicit ipse pag. 358 not. 1: „nicht lange vor dem Strategenwechsel im Mai 219“, quo tempore exor-

[1]) Wahner pag. 26 not. 16, Toepffer apud Pauly-Wissowa s. v. Achaia

[2]) Antea Merleker p. 79 § 32 hoc breviter attigerat.

[3]) Klatt, Beiträge p. 31 not. 4.

diebatur aestas (Polyb. V 1,1—3). Mihi videtur fuisse extraordinarius conventus convocatus propter Aetolorum incursionem (venerant Messeniorum legati petentes auxilium); verba: ἐκ νόμων interpretor ut V 1,7: κατὰ τοὺς νόμους pertinentia ad convocationem.[1]) Praeterea gravissimum esse existimo, quod deest articulus τῆς. Certe Aratus ante hoc concilium est creatus praetor, ut equidem opinor, in legitimo Aprilis mensis concilio paulo ante habito. quod observaverant Aetoli (cf. quoque locum Polyb. V 94,3: τηρήσας τὴν τῶν Ἀχαιῶν σύνοδον). Totum locum prave interpretatur Brandstaeter, cum dicit[2]): ‚Achaei demandaverunt Arato in hoc concilio τὴν σφραγῖδα ante tempus legitimum,' quamquam ipse dicit pag. 350 Achaeos vituperasse Aratum clade ad Caphyas accepta, quod tam avide ante tempus conveniens sibi vindicasset illum honorem (cf. Polyb. IV 14).

b) Narrat Polyb. IV 67,7 venisse Philippum regem Larissa profectum χειμῶνος ἔτι προβαίνοντος Corinthum sub brumae tempus (περὶ τροπὰς χειμερινάς) additque in describenda expeditione, quae subsequitur, nonnullis locis numerum dierum (67,8; 68,6; 70,1.2.5; 72,3.5; 73,3; 80,15), ut praeter indicia incerta (72,5; 73,4) computare liceat viginti quattuor transactos dies, donec Philippus μέσου χειμῶνος venit Megalopolim c. 80,16. Itaque non idem est apud Polybium brumae tempus et media hiems.[3]) Quae cum ita sint, verisimile est Philippum redisse Argos mense Februario. Tempus autem interiectum inter eius reditum et comitia Aegii habita nescimus; sed licet conicere ex Polybi narratione 82,1—8 fieri potuisse, ut interiectae essent quinque sexve hebdomades. Certum est mense Maio non esse habita illo anno Achaeorum comitia, quod opinati sunt plurimi recentiorum scriptorum.[4]) Quod autem Helwingius pag. 189 existimat χειμερινὰς τροπάς fuisse circa XXIII. Sept., sine dubio confundit aequinoctium

---

1) Cf. Weinert. pag. 16.

2) „Die Geschichten des ätolischen Landes, Volkes und Bundes." Berlin 1844 pag. 346.

3) Cf. Boeckh, Sonnenkreise der Alten pag. 87.

4) Freeman pag. 543: ‚Spring Meeting of the federal Congress at Aigion May 218.'

autumnale et brumam et ignorat Polybi locum IV 67.6: χειμῶνος ἔτι προβαίνοντος dicens ,autumno' esse Philippum Larissa profectum.

Restat, ut dicam, quando inierint praetores Achaeorum magistratum ab anno 217/16. Primus Schornius pag. 210 sqq. ostendit Achaeorum praetores bello sociali composito suscepisse magistratum autumno, quam sententiam stabilivit A. Mommsen.[1]) Unger autem demonstrare conatus est multa de hieme, mense Februario, eos inisse magistratum. Klattio, qui sententiam Ungeri infirmavit, Gilbertus assentiens existimavit pag. 111 not. 1 inscriptione apud Dittenberger. 454 everti sententiam Ungeri, id quod probari non potest, quia ex Polybi verbis V 1.1: τὸ μὲν οὖν κατὰ τὴν Ἀράτου τοῦ νεωτέρου στρατηγίαν ἔτος ἐτύγχανε διεληλυθὸς περὶ τὴν τῆς Πλειάδος ἐπιτολήν· οὕτως γὰρ ἦγε τοὺς χρόνους τότε τὸ τῶν Ἀχαιῶν ἔθνος non efficitur illa quoque posteriore aetate initium praeturae et civilis Achaeorum anni idem fuisse. An adverbii τότε nulla habenda est ratio? Quamquam equidem Ungeri sententiam defendi non posse existimo his rationibus adductus. Atque primum quidem illi sententiae deesse mihi videtur quasi fundamentum et fastigium; nam supra demonstrare studui (pag. 29) Critolaum initio hiemis inisse praeturam et quod Unger negat pag. 144 mirum esse, si comitia anni 217/16 habita sunt quinque sexve mensibus ante, quippe qua re cauturi fuissent Achaei, ne quid mutaretur de novo instituto, non assentior, quia ipse explicat tum redisse Achaeos ad institutum per breve spatium quinque annorum intermissum, qua de re cautione illa prorsus non fuit opus. Quid? quod aliquot scriptorum loci eis, quae Unger iudicavit, sunt contrarii. Ac primum quidem proferam Liv. XXXV 47 et Plut. Philop. 16. Klatti verbis, qui pag. 20—22 de utraque re rectissime iudicavit, pauca addam.

[1]) Philologus XXIV p. 18 additque pag. 18 not. 40: „Gegen früher war Amtswechsel ungefähr um 6 Monate tiefer ins Jahr geschoben und, wie es scheint, von einer Plejadenphase auf die andere verlegt, nämlich vom Frühaufgang im Mai auf den Spätaufgang im Oktober oder auf den noch berühmteren Frühuntergang im Anfang November," quam sententiam probat Nissenius (Rhein. Museum 26. Band 1871 p. 248).

Censet Unger pag. 121 tantam auctoritatem, quanta valere putabant Philopoemenem Antiochus et Aetoli, ne Aratum quidem habuisse nisi temporibus praeturae, quae sententia refellitur tribus Plutarchi locis. Legimus enim apud eum in vita Arati c. 35 Achaeos recepisse Argos in societatem non verbis Lydiadae praetoris commotos, sed tum demum, cum Aratus eos esset adhortatus. Maior ac paene incredibilis exstitit eius auctoritas, cum impediret Aristomachum praetorem, ne dimicaret cum Cleomene multo inferiore[1]), et apertis verbis dicit Plutarch. Cleom. c. 14: ἐστρατήγει Ὑπερβατᾶς τότε, τοῦ δ' Ἀράτου τὸ πᾶν ἦν κράτος ἐν τοῖς Ἀχαιοῖς. Denique rectissime animadvertit Klattius pag. 21 tantam auctoritatem habuisse Philopoemenem privatum apparere ex Plut. Philop. 16, ubi ille se opponit Flaminino et Diophani praetori. Ceterum verba Plutarchi c. 17: ,ἐπεὶ . . . συνέστη πόλεμος, ἦν μὲν ἰδιώτης ὁ Φιλοποίμην' indicant, cum bellum exortum esset (sc. Antiochi adventu), fuisse illum privatum hominem. Praeterea, si abdicasset praetura Philopoemen mense Februario, ei licuisset aggredi Syros, qui media quidem ferme hieme in hiberna erant deducti, sed principio veris inde iam erant profecti (Liv. XXXVI 6).

Expeditionem autem contra Lacedaemonios susceptam (Plut. Philop. 16) hiemi anni 192 1, non 191/0 (ut mavult Unger) esse tribuendam confirmavit Klattius afferendo Plutarchi verba: Ἀντιόχου τοῦ βασιλέως καὶ τῶν Ῥωμαίων ἐν τῇ Ἑλλάδι τηλικούτοις αἰωρουμένων στρατοπέδοις.[2]) Mihi videntur haec quoque afferri posse: Titus Flamininus legatus[3]) (Liv. XXXV 23,5) principio anni 190 iam redierat Romam ex Graecia (Liv. XXXVII 1). Quomodo igitur fieri potuit, ut Flamininus interesset huic expeditioni hiemis 191/0, cum dilucide dicat Pausanias VIII 51: Διοφάνης . . . ἐν τῷ τότε ᾑρημένος ἄρχειν τῶν Ἀχαιῶν (quem locum praetermisit Klattius); explicatione enim Ungeri efficeretur extremis Diophanis praeturae mensibus id factum esse. Itaque haec exempla (Philopoemenis

[1]) Cf. de eadem re Plut. Cleom. 4.

[2]) Ante eum iam recte explicuerat hunc locum Neumeyer Philop. pag. 45.

[3]) Falso Plut. eum appellat ὕπατον et Paus. VIII 51.1 Ῥωμαίων περὶ τὴν Ἑλλάδα ἡγεμόνα.

et Diophanis dico) sententiam Ungeri fulcire non possunt. id quod confessus est Baier[1]), qui Ungeri partibus est addictus.

Tum praetorum ordinem annorum 187—183, quem composuerat Nissenius[2]), falsum putans Unger praeturas annorum 187 et 186 tribuit Aristaeno et Lycortae, qui obtinent apud Nissenium praeturam per annos 185 et 184. Cf. Klatt. pag. 23 25. His nonnulla addam. Tradit Liv. XXXIX 33 Caecili legationem, quae ex Peloponneso Romam reverterat, renuntiasse in senatu initio anni consulibus P. Claudio L. Porcio, qui fuerunt consules anni 184.[3]) Ergo Aristaenus nisi anno praecedenti 185 non potest esse praetor, quia illi legationi συνῆγε τὰς ἀρχὰς εἰς τὴν τῶν Ἀργείων πόλιν (Polyb. XXIII 10.2). Protinus alia legatio mittitur in Graeciam, cui Clitore datur concilium Achaeorum Lycorta tenente praeturam anno 184 (Liv. XXXIX 35.5. 36). quod concilium extremo olympiadis 148 anno tribuendum esse apparet etiam e comparatione fragmentorum Polybi XXIII 4—5.

Explicavit Unger Polybi verba XXIII 1,3: τοῦ . . . τότε τὴν ὕπατον ἀρχὴν εἰληφότος ita: „der gerade damals eben zum Konsul gewählt worden war." Klattius quidem pag. 23 sq. recte convertit: „der in damaliger Zeit Konsul war," sed sententiam suam non probavit argumentis, quae equidem sumo ex usu Polybiano. Omnibus enim locis, quos inveni (Schweighaeuseri lexicon non sufficit) mihi occurrerunt verba composita μεταλαμβάνειν aut παραλαμβάνειν, quae usurpare solet Polybius de magistratu suscipiendo. Proferam primum Schweighaeuseri exempla Polyb. IV 37.3: μετειληφότος . . . τὴν στρατηγίαν, I 8.4: παραλαβὼν τὴν ἀρχήν, III 110.4: μεταλαμβάνειν τὴν ἀρχὴν τοὺς ὑπάτους, V 40.6: Ἀντίοχος μεταλαβὼν τὴν ἀρχήν, (XXXI 21.4: κατὰ τὴν Ἀντιόχου μετάληψιν τῆς ἀρχῆς). Praeterea inveni apud eundem scriptorem hos locos. V 1,2: Ἐπήρατος παρελάμβανε τὴν τῶν Ἀχαιῶν στρατηγίαν, V 91.1:

[1]) pag. 32 not. 1: „Aus den beiden Fällen lässt sich kein sicherer Beweis für die vorliegende Frage erbringen."

[2]) Rhein. Museum XXVI pag. 262.

[3]) Cf. Fastos consulares apud Mommsen. C. J. L. I pag. 528:

P. Claudius Ap. f. P. n. Pulcher
L. Porcius L. f. M. n. Licinus.

Ἀράτου παρειληφότος τὴν τῶν Ἀχαιῶν στρατηγίαν, XXIII 2,13: Ἱππίου ἀποτεθειμένου τὴν ἀρχὴν (sc. Boeotorum), Ἀλκέτου δὲ παρειληφότος, IV 7,10: παραλαβὼν τὴν σφραγῖδα, XVIII 25,1, quod est gravissimum exemplum: ἐπὶ Μαρκέλλου Κλαυδίου ὑπάτου, παρειληφότος τὴν ὕπατον ἀρχήν. In alteram partem legi XXII 26.11: ἀποδότω Ἀντίοχος τῶν Αἰτωλῶν ὅσοι κοινὰς εἰλήφασιν ἀρχάς = „welche bekleideten". ut Germanicis verbis utar. Dubium igitur esse non potest, quin recte intellexerit illa verba Klattius. Itaque fieri potest, ut Lacedaemonii tulerint responsum extremo Lepidi consulatu. cum iam[1]) successisset Archoni Philopoemen. Qua de re disputavit Nissenius l. c. pag. 263.[2]) Boeotorum autem rebus comparatis nil potest comprobari, quia non constat tempus praetorum. quos commemorat Polyb. XXIII 2.13. Wilckenius apud Pauly-Wissowa s. v. Ἀλκέτας existimat illum fuisse praetorem anni 187, Gilbertus pag. 55 not. 3 anni 186. quod verisimilius est ac stabilitur praetorum Achaeorum ordine composito.

Postremo afferam Polyb. XXVIII 6.9. Priusquam autem de tempore ipso disseram, pauca dicam de conventu, ubi Archo ad praeturam proponitur. Censet Unger p. 133 fuisse σύνοδον Achaeorum, qui decrevissent statim Archona creare praetorem. Baier opinatur pag. 26 sq. eam fuisse ‚extraordinariam' ἐκκλησίαν (βουλήν) datam Romanorum legatis (c. 3) ibique pervicisse sententiam Archonis, quem statim praetorem creassent; sed ipse profert in eadem pagina Liv. XXXI 25: ‚non licere legibus Achaeorum de aliis rebus referre

---

[1]) Polyb. XXIII 7,1: Φιλοποίμενος ἔτι στρατηγοῦντος. Ἔτι autem vim habere Latini vocabuli ‚iam' apparet e Polyb. IV 67,7: χειμῶνος ἔτι προβαίνοντος (cf. supra pag. 35). Itaque mea sententia de tempore illius Corinthiaci conventus (Polyb. XXIX 8.9; cf. supra p. 32) non evertitur verbis: ἔτι κατὰ χειμῶνα, quia etiam significare possunt: ‚Cum iam coepisset malum anni tempus.'

[2]) „Man wird annehmen dürfen, dass die Lacedämonier bei dem allgemeinen Empfang, der in den ersten Monaten jedes Konsulatsjahres den fremden Gesandten bereitet zu werden pflegte, keinen Bescheid erhielten und erst nach der Rückkehr des Konsuls aus der Provinz solchen erwirkten. Diese Auffassung liegt in den Worten selber angedeutet."

quam propter quas convocati essent.' Meo iudicio ex vocabulo παραλαβόντες . . . c. 6.2 apparet fuisse eam privatam deliberationem. Idem opinati sunt Freemanus[1]) et Dubois[2]) et Hertzbergius[3]). Hoc quoque addo: Vocabulum προπορεύεσθαι (πρὸς τὴν στρατηγίαν) nil aliud significare potest nisi petere, ambire (cf. Polybi locos II 4.2; XXXV 4,4; προιέναι II 2.10; προςπορεύεσθαι X 4,1). Itaque rectissime Merleker pag. 399 statuit: ,placuit, ut statim praeturam gentis peteret Archon.' Praeterea scrupulum mihi affert, quod Polybius c. 7,7 tradit magnos fecisse sumptus Archona, ut crearetur, quod omnino non fuisset necesse,si εὐθέως in eodem conventu Achaeorum animi sic inclinassent, ut statim eum crearent. Ex verbis autem προπορεύεσθαι πρὸς τὴν στρατηγίαν concludo tempus comitiorum tum appetivisse. His peractis tempus ipsum definiam.

Oberhummer, Akarnanien pag. 189 haec dicit: „Zu Anfang des Jahres bereiste eine römische Gesandtschaft die griechischen Staaten"; (est haec sententia Ungeri et Baueri). Ita se res habere omnino non potest, quia unus e legatis Popillius Ambraciae praeest Romano praesidio, cum Perseus sub brumae tempus expeditionem suscipit (Liv. XLIII 17. 18 sq.), maxime autem, quia Polybius aperte dicit XXVIII 3.1: κατὰ τοῦτον τὸν χρόνον, quae verba referenda sunt ad initium proximi capitis 2: ἤδη τῆς θερείας ληγούσης. Ergo falso nominatur Hostilius ἀντιστρατηγός et ἀνθύπατος a Polybio (c. 3.1; 5,6) et a Livio XLIII 17 proconsul.[4]) Quam sententiam non infirmat Polybi narratio c. 7, quia νεωστὶ γεγονότων referendum

---

[1]) pag. 285. 672: ,the leading men of the moderate party now held a convention — autumn 170 — to determine what candidates they would propose at the next federal elections' et suo iure dissentit ab opinione Schornii p. 64 et Droyseni II p. 463 existimantium demiurgos proposuisse candidatos ad praeturam, quam sententiam falsam esse equidem concludo ex verbo παραλαβόντες, et pag. 674: a private debate among the chief men of an Achaian party.'

[2]) p. 139 not. 4 (152): ,Les délibérations d'une assemblée des plus puissants citoyens du parti national. C'est là une réunion privée.'

[3]) pag. 214: „Entscheidende Beratung der Führer der Nationalpartei.'

[4]) Recte iudicaverunt Freeman. pag. 673; Hertzberg. p. 213; Hill, Der achäische Bund seit 168. Elberfeld 1883 pag. 7 et 23.

non est ad πέμψαντος πρεσβευτὰς εἰς τὴν πρώτην ἀγοράν, sed ad λόγους ποιήσασθαι (λόγοι sine dubio pertinent ad Polyb. XXVII 15,2: ἐπεβάλλετο διαπέμπεσθαι πρός τινας τῶν ἐν Ἀχαΐᾳ sc. Attalus); verba autem: χειμάζων ἐν Ἐλατείᾳ ad primam hiemem non minus referri possunt quam ad mediam.

Legimus in fine quaestionis a Klattio de hac re institutae pag. 25: „In sämtlichen Fällen ist eine andere Jahreszeit, etwa der Herbst, ebenso gut möglich. Eine genauere Bestimmung hat sich freilich nicht ergeben.“ Efficitur autem ex comparatis Polybi locis V 106,1 (cf. pag. 38) et 107,5 eodem fere tempore (inde ab eo anno) apud Aetolos et apud Achaeos esse creatos praetores; apud Aetolos autem comitia praetori creando habita esse μετὰ τὴν φθινοπωρινὴν ἰσημερίαν εὐθέως docemur Polyb. IV 37,2. Itaque nobis licet conicere tum creatos esse Achaeorum praetores in autumnali concilio habito mense Octobri, quocum convenit sententia, quam pronuntiavi de praetura anni 147/6 (pag. 29). Quocum non discrepat Liv. XXXVIII 32: ‚Philopoemeni continuatur magistratus‘.[1]) Achaei decreverunt bellum inferre Lacedaemoniis, quam ob rem in sequenti ordinario conventu optimo duci continuant praeturam (verisimile mihi est in autumnali conventu Liv. XXXVIII 30; cf. supra pag. 26 sq.) Plane approbo sententiam Klatti interpretantis verba: ‚ne extemplo gereretur bellum, hiems impediit‘ (c. 32,1). Quamquam definiri non potest, utrum mense Octobri an initio Novembris inierint Achaeorum praetores magistratum. Si similis ratio ac belli socialis temporibus intercessisset, qui circa posteriorem exortum Vergiliarum creabantur, suscepissent praeturam circa priorem occasum eiusdem sideris (cf. supra pag. 31, Mommsen l. l. pag. 74). Certe multa de hieme praetores Achaeorum minime inierunt magistratum.

Haec habui, quae dicerem de Achaeorum conciliis et comitiis. Pauca addam de aliis eorum institutis. Atque primum disputabo de demiurgis.[2]) De eorum electione certum quoddam e scriptoribus afferri non potest. Verisimillimum

[1]) Cf. Klatt. pag. 22 sq.

[2]) Schorn. pag. 63.

est eos esse creatos eodem, quo praetores modo, non solum ex decem veteribus foederis urbibus. Quamquam concedendum est Schornio omnes demiurgos nobis notos ex his urbibus esse; mentio enim fit apud Dittenberg. 182 demiurgi Βουρίου, apud Liv. XXXII 22.5 Pellenensis. apud Polyb. XXXVIII 5,4 Αἰγιέως et Τριταιέως, quos manifestum est demiurgos fuisse (eosdem esse censeo ἄρχοντας et postea τοὺς τῆς γερουσίας). Γερουσίᾳ autem puto ut Wahner pag. 39 sq. significari omnes foederis summos magistratus; sed ei non assentior censenti Livium errare XXXII 22 solis demiurgis attribuentem suffragia, ‚cum Liv. XXXV 25 et Polyb. XXXVIII 7,6 praetori certis verbis addicerent suffragium‘, quod in utrumque locum non quadrat, quia aliud est sententiam dicere, aliud in probuleumate suffragium dare, quod anteit populi suffragia. Quod autem Weissenbornius ad Liv. XXXII 22 annotavit saepe futurum fuisse, ut par numerus suffragiorum efficeretur, si ea tantum demiurgi dedissent, id accidit in eodem ipso conventu tolliturque ea difficultas non accessu praetoris (cf. Liv. c. 19,2: ‚Aristaenus, qui Romanis gentem iungi volebat, praetor erat‘) aut hipparchi aut scribae publici, sed demiurgi, qui defecit a factione Philippi causae favente. Magistro equitum quoque licuisse sententiam dicere apparet e Polybio XXVIII 7,8 et 6,9. Ceterum equidem existimo ex Dittenberg. Syll. 178 colligi posse, si Wahneri sententia recta esset, verisimilius ναύαρχον quam γραμματέα numerandum esse in hoc collegio. Alii[1]) falso censuerunt γερουσίαν fortasse idem esse quod βουλήν; non discernit Droysen. III 2 p. 60, perversissime autem iudicat Drumann. p. 462: „Die Zusammenkunft des Strategen mit den Demiurgen wurde βουλή genannt.“ Recte iudicavit de Merlekeri et Wahneri sententiis Dubois pag. 138-142, etsi paucis in rebus erravit, velut in eis, quae ad Polyb. XXXVIII 5,4 adnotat: Critolaus ayant accusé les magistrats de révéler le secret de leurs délibérations, les membres de la γερουσία le reprennent et lui interdisent de telles paroles; nimirum ratio enuntiatorum est alia; praeterea profert alterum locum Paus. VII 12.3,

[1]) Schoemann. p. 121, Weinert. p. 31.

quamquam illo loco intellegendi sunt sine dubio Lacedaemoniorum γέροντες. Cum enim Lacedaemonii frustra deprecati essent bellum, quaesiverunt οἱ γέροντες, quot essent in culpa, et Diaeus ἐξπέμπει σφίσιν eorum nomina; postquam illi viri fugerunt, ὑπήγοντο ὑπὸ Σπαρτιατῶν εἰς δικαστήριον et — specie scilicet — capitis sunt damnati. Idem non reprehendit Wahnerum, qui p. 39 censuit Aetolorum apocletos fuisse triginta numero, quamquam e Polybi verbis XXI 1,1 elucet fuisse illos triginta delectos apocletorum (τριάκοντα τῶν ἀποκλήτων; cf. Liv. XXXV 45,9: triginta principes delegerunt.)

De eo magistratu, qui vocatur ἀποτέλειοι, Dubois pag. 116 sic statuit: Ces officiers mentionnés une seule fois par Polybe X 23,9; sed oblitus est alterius loci, quem ipse attulit pag. 154 not. 11, Polyb. XVI 36,3 sq.[1]) Praetermiserunt autem silentio omnes viri docti illa verba: ἀπόδοτε τὴν ἐπιστολὴν τὴν ἐπιγεγραμμένην τῷ παρ' ἐκείνων ἀποτελείῳ, cum antea semper usurpatus sit pluralis numerus ἀποτέλειοι, ut hic locus possit esse argumento in singulis urbibus fuisse singulos ἀποτελείους. Pluralis autem positus est propter ‚πρώτας πόλεις' in diversis viis sitas, item locus X 23,9 referendus est ad omnes Achaici foederis urbes. In errorem autem labitur Wahner existimans pag. 24 not. 19 magistratus singularum urbium in universum videri appellatos ἀποτελείους; nam illis solam copiarum et dilectuum curam mandatam fuisse liquet ex his locis. In universum nominati sunt Achaici foederis urbium magistratus ἄρχοντες (Polyb. XXXVIII 3,10).

Eis denique, quae scripta sunt[2]) de oppidis aut vicis non liberis, haec addo. Inveni in collectione inscriptionum, quam nobis praebet Ἐφημερὶς Ἀρχαιολογική 1887 pag. 156 sq., Mycenaeos vocari κωμείτας (sc. Argorum): Ἁλιαίαι ἔδοξε τελείαι τῶν Μυκανέων . . . δεδόχθαι τοῖς κωμείταις.[3]) Tribuenda est

[1]) Cf. Busolt. p. 356 not. 2.

[2]) Cf. Wahner. pag. 24 not. 11, Freeman. p. 256 sq., contra eum Vischer., Gesammelte Schriften I p. 568 sq., Gilbert. pag. 123 not. 1; R. Weil., Sallets Zeitschrift für Numismatik IX pag. 222 sq.; Droysen. p. 61 eumque secutus Toepffer.

[3]) Cf. Collitz, Griechische Dialektinschriften Nro. 3315.

illa inscriptio eis temporibus, quibus Argivi a dominatione Nabidis, qui eos oppressos tenebat a vere anni 197 usque ad aestatem anni 195, erant liberati. Et in altera inscriptione[1]) commemoratur et ἡ κώμη τῶν Μυκανέων et rursus κωμεῖται. Item mentio fit κώμης in Troezenis inscriptione[2]) temporum Cleomenici belli: ἔδοξε τᾶι κώμαι δόμεν εἰς τὰν σωτηρίαν καὶ τὸν διατειχισμὸν τᾶς πόλιος. Unde apparet illos κωμείτας fecisse decreta atque ex prima quidem inscriptione eos tribuisse προεδρίαν in Dionysiis. Nummos autem cudisse Mycenaeos notum non est.[3]) Ceterum consulendus est Dubois, qui pag. 176 sqq. mea sententia rectissime iudicavit de hac re. Legimus autem apud Strabonem VIII 377 C (cf. quoque 372 C) Mycenaeorum urbem ‚μετὰ τὴν ἐν Σαλαμῖνι μάχην‘ esse dirutam ab Argivis, qui sibi adiunxissent Cleonaeos et Tegeatas et apud Paus. VII 25.3 incolas tunc emigrasse Cleonas et Ceryneiam. Itaque patet postea in illa regione habitasse vicum civium Argivorum partem, ut equidem opinor, eiusque nomen fuisse Mycenen. Sed regionem non fuisse liberam et sui iuris non efficitur ex iis inscriptionibus. Cuius loci mentio fit apud Livium XXXII 39.6 (est annus 197): ‚Haud procul ab urbe (sc. Argis) Mycenica vocatur.‘ Fortasse licet supplere ‚κώμη‘ (cf. Livi locum XXXVIII 15,7: ‚ad Xylinen, quam vocant Comem‘).

Habetis meum de conciliis Achaeorum iudicium. Opto autem vehementer in fine huius tentaminis, ut multae proferantur in lucem inscriptiones, quibus illam Achaeorum συμπολιτείαν, quae nobis affulget ex tristissimis Graeciae temporibus, plane possimus cognoscere.

---

1) Ἐφημ. Ἀρχ. 1887 pag. 158.

2) Edita ab Mylonas, Bulletin de correspond. Hellen. X pag. 139 A vers. 35; Collitz Nro. 3364.

3) Weil. l. l. pag. 251—256.

Vita.

Peter Huber, natus a. d. V. Idus Sextiles MDCCCLXXIV Vohburgii patre Josepho matre Maria de gente Schiller, quos adhuc superstites esse gaudeo, fidei addictus sum catholicae. Maturitatis testimonio anno MDCCCXCIV in gymnasio Dillingensi instructus Monachii per quattuor annos studiis philologicis operam dedi et scholis interfui virorum doctissimorum v. Christ, v. Müller, v. Wölfflin, Furtwängler, Paul, quibus omnibus gratias ago maximas semperque habebo. Postquam anno sequenti militavi, cursui paedagogico qui vocatur interfui.